יסוד הדקדוק

De re grammatica Hebreæ linguæ, libri tres.

Contenta in his Libris singulæ Præfationes docebunt.

אשר ללמד ותורה לו לקנין
ולא למד יסוד הדקדוק לא בן:
כמו חורש אשר ינהג שורים
ויזו מבלי מלמד ודרבן:

Basileæ, per Henrichum Petri, annô Domini M. D. LII.

NOBILISSIMIS CLARISSIMISQVE VIRIS D. IACOBO STVRMIO, D. IACOBO *Meyero,* D. *Friderico Gottesheimio, Academiæ Argentinensis celeberrimæ scholarchis amplissimis, mœcenatibus suis longe obseruandissimis,*

S. D. P.

QVOD HAS MEAS IN Linguam Hebræam lucubrationes amplissimo uestro nomini dicatas esse uolui, uiri præstantissimi, iuxtaque ornatissimi, plurimæ eæque euidẽtissimæ causæ me permouerũt. Quum nanque solennis sit consuetudo eorũ, qui aliquid in lucem emittere statuerunt, ut labores suos magnis uiris nũcupent, quo scripta

 ipsorum

ipſorum, non tam eos quibus offerũtur, ornent, quàm ab illis ornentur. Cui mortalium potius hoc meum opuſculũ dedicaſſem, quàm excellentiæ ueſtræ? quos conſtat adeò, niſi qui uirtute, pariterq́ ſumma ſapientia præditos eſſe, ut non ſolùm præcipuum uobis in magiſtratu locum tribuerit reſpublica Argentinenſis, ſed etiam ſcholæ ſuæ gubernacula, propter eximiam ueſtram doctrinam crediderit. Ac prudẽter quidem illa rebus ſuis conſuluiſſe mihi uidetur, dum uiris non tantùm nobilitate ac uirtute, prudentia inquã, atq; fortitudine clariſſimis, ſed & literatis ac non uulgariter eruditis, ſummam rerum poteſtatem commiſerit. Talibus enim magiſtratus functionem deberi & philoſophorum gentilium dicta teſtantur, & Hebræorum ſapientum ſententiæ cõprobant. Vt enim unam ex pluribus

ribus in medium adferam, ita illi dicere solent, ואמרו אי זה אדם ראוי למלוך אמרו זהו חכם שימלוך או מלך שידרוש בחכמה : hoc eſt, dixerunt (ſapientes ſcilicet) quisnam dignus eſt ut regnet? reſponderūt, ſapiens eſt qui regnare debet, aut rex qui ſapientiam inquirit. Hęc illi. Longè uerò magis laudandum eſt hoc ſenatus ueſtri cōſilium, quo poſteritati ſuæ non minus quàm ſibi proſpectum eſſe uoluerunt. Id quod abūdè tum teſtati ſunt, cum magnificis adeò ſumptibus, in gratiam non modò iuuentutis Argentinenſis, uerū etiam totius Germaniæ, academiā trilinguem, ac pijſſimis doctiſſimisq; in omni genere ſcientiæ profeſſoribus ornatam inſtituerūt: ut inde tanquā ex theſauro, ubi neceſſitas id poſtularet, ad eccleſiam pij eruditiq; miniſtri, ad ſcholas diligentes doctiq; magiſtri, ad rempublicam deniq; ſa-

pientes grauesq́ senatores accersiri possent. Quod institutum licet à me pro dignitate celebrari non possit, uolui tamen in hoc Epistolio honorificam illius mentionem facere: non equidem adulationis studio, sed potius ut illud tãquam exemplum omnibus imitãdum proponerem. Et quia eousque oratio mea deuenit, adhortor uos, ut quod magna cum laude hucusque fecistis, deinceps quoq; facere pergatis: hoc est, ut pro uirili, auxilio consilioq́ in hac rerum turba, pia studia bonasq́ literas promoueatis: quibus collapsis, neq; salus Ecclesiæ, nec tranquillitas Reipublicæ constare nobis poterit. Pro quo officio (ne dubitate) à Christo primùm seruatore: deinde uerò ab Ecclesia illius, ac posteritate uestra in primis, quorum res agitur, immortalem gloriam, ac (ut Apostoli uerbis utar) coronam im-

marcessi

marcessibilem reportabitis. Sed ut tandem eò redeam unde progressus sum, ad iam cõmemoratam alia, non minus grauis quàm digna causa accedit. Quandoquidem enim ingratitudine uitium nullum inter mortales detestabilius existimatur, atque reipsa ita est, cogitaui mecum sæpenumero, qua uia animi mei erga accepta beneficia, gratitudinẽ uobis ac reipublicę Argentinensi declararem. Verũ enimuero quum non solùm cõditionem rationemq́ue uitę meę, sed & tempora ipsa (in quibus hodie omnia sursum deorsũ uoluuntur, & incerta dubiaq́ue quodammodo peñdent) penitius cõsiderassem, nulla alia re insignem beneuolentiam Senatus uestri amplissimi, per uos, uos (inquam) mœcenates meos fidelissimos, ne quid aliud dicam, mihi exhibitam, compẽsare me posse putaui, quàm si donum

 quod

quod in ſchola ueſtra, ſumptibus reipu-
blicæ ueſtrę mihi à Deo collatum eſt, in-
duſtria ac diligentia fouerem, adq́; utili-
tatem publicam excitarem, eosq́; labores
ueſtro nomini ampliſſimo dedicarem.
Et iure quidem id à me exigi poſſe agno-
ſco. Quum enim triennio amplius reipu-
blicæ Argentinenſi munificentia & libe-
ralitate uſus, ſi quid in me eſt literarum,
maximè uerò Hebraicarum, id omne in
Gymnaſio ueſtro celeberrimo percepe-
rim, ad quem (quæſo) aliũ, quàm ad uos
noſtri labores ſpectare debebant? Quo
in loco Senatus ueſter in primis mihi cõ-
mendandus eſt, q; tum mihi quum alijs
multis, qui per inopiam rerum ad ſtudia
bonarum literarum nũquam aſpirare po-
teramus (notum eſt enim Hebræum di-
ctorium אם אין קמח אין תורה Si non eſt
farina, non eſt lex, quo ſignificant, illum

in ſtu

in ſtudijs difficulter progreſſus facturū, qui neceſſarijs & ad uictum pertinentibus, deſtitutus ſit) ſtipendijs liberaliſſimis ſemper adſuit. Quãobrem quod ad me quidem attinet, non potui committere, quin palàm aliquando teſtarer, non omnino fruſtra tam ab illis ſumptus factos, q̃ à me operam collocatam fuiſſe. Quod ad alios attinet, iam partim plurimi lõgo me interuallo ſuperarūt: partim uerò poſt hac haud dubiè induſtriam ſuam benefactoribus ſuis approbabunt. Poſtremò, quia his temporibus nihil ferè etiam abſolutiſſimum à petulantia linguæ mordacis tutum eſſe comperimus, ideo libellos hoſce Grãmaticos unà cum illis quos breui, domino Deo uitã mihi largiente adiungam, ſub ueſtro patrocinio ac tutela in lucem exire ſummopere optaui. Non enim dubito, quin plerique

quibus nihil placet, quàm quod ab ipsis factum est, & qui aliorum labores mordere potius gaudent, quàm suis publicæ utilitati consulere, reprehensuri sint meū institutum, quòd tot extantibus Grammaticis doctissimorū uirorū, ego quoque nugas meas mūdo obtrudere uoluerim. Alij, laudis cupiditate hæc à me scripta esse dictabunt: alij, sermonis ruditatem culpabunt. Quos equidem omnes contemnendos, magis quàm timendos licèt semper duxerim (nam quocunque loco ab istis Momis mei labores habeantur, hoc tamen certus sum, illos domino Deo qui uult ut linguarū studia ab omnibus promoueantur, deinde probis bonisque uiris minimè improbari) tamen amplissimam uestram magnificētiam peruersis istis ingenijs opponendam iudicaui, ut illa defensus meus Liber, tutius inter superos

uersari posset. Vos igitur uiri clarissimi, maximopere rogo, obsecro, atque obtestor, ut chartaceum hoc munusculum hilari serenaq; fronte suscipiatis, exiguum quidem mole, at ab homine uestri studiosissimo profectum. Nam & illi qui ad extruẽdum tabernaculum opes suas conferebant, gratitudinem suam erga deum declaraturi, non omnes aurum & argentum, sed & quidam pelles arietinas donabant uilia munera, alia preciosa magis non habẽtes: placuitq; nihilominus deo liberalitas illa populi. Ita ego tametsi nõ habeam unde uel auro, uel argento munera uobis digna tribuam, tamen uos id quod adfero munusculũ, quale quale sit, minimè contempturos confido. Quod superest, amplitudini uestræ commendatum me maximè cupio: rogoq;, ut quem hactenus uestra beneuolẽtia dignum iudicastis

dicastis, in posterum quoque eodem fauore prosequamini. Dominus Deus conseruet uos, Scholæ & Reipublicę Argentinensis domini, incolumes. Amen. Argentinæ. Anno Domini millesimo quingentesimo quinquagesimosecūdo, mense Martio.

Dominationibus uestris
dedititissimus

David Kyberus
Argentinensis.

DAVIDIS KYBERI
PRÆFATIO AD LECTOREM.

QVVM ſuperioribus annis candide lector, in gratiam ſtudioſorum tabulas Linguæ ſanctæ: in quibus ſumma capita & prima quædã elementa Hebrææ linguæ craſſa tractauimus Minerua, ædidiſſemus, ac pleriq; teſtarentur primũ illum noſtrum fœtum nõ ſine fructu in lucem prodíjſſe, haud ingratam ſtudioſis operam futuram exiſtimauimus, ſi ea quæ in tabulis noſtris conſignata & quaſi delineata ſunt, fuſius à nobis explicarẽtur. Quamobrem perlectis optimis in eo genere ſcriptorum autoribus, quales ſunt Kimhi, Elias, & alíj, congeſsimus ingentem copiam Canonum Grammaticorum, in quibus digerendis atq; optimo ordine diſponẽdis iam longo tempore toti fuimus. Ac quoniam quidam hoc anno quadrageſimo nono, in celeberrima Argentinenſium Academia prælectionum Hebraicarum prouincia nobis demandata erat, cogitabam uno eodemq;

labore, tam hos qui me tum audiebant, quàm quosuis alios Linguæ ſanctæ candidatos largius me poſſe demereri. Conſcripſi itaque hos tres Libellos, quibus ea pręcepta quæ progreſſi aliquantulum, poſt illa rudimenta Tabularum noſtrarũ deſiderare queant, comprehenſa ſunt. In priori quippe modus legendi ſimplex, attamen proprius traditur, uerborum accidẽtia copioſe unà cum formationibus, ſignificationibusq; temporum per ſingulas cõiugationes in ordine perfectorum diligenter proponuntur. Nominum etiam rationem quantum inſtitutũ noſtrum in præſentiarum poſtulabat, primus hic tradit Liber. Alter de officijs literarũ ſeruiliũ perquàm neceſſariã habet tractationem, eamq; abſolutam: ita ut in poſterum, nihil aliud, quo ad hanc partem Grămmaticæ, à nobis candido Lectori expectandum ſit. Poſterior deinceps, oſtendit uſum omnium earum rerum tam quæ duobus ſuperioribus libris docẽtur, quàm quæ ſequentes habebunt. Neceſſe eſt enim uſum præceptis maturè coniungere, modò quis fructum aliquẽ ex hoc ſtudio reportare uelit. Quę autem ad reliquam attinent, puta ordinum imperfectorum

perfectorum anomalorumq́; inflexiones, nominum uarias formas, accentus, ſyntaxin, figurasq́; et ſi quæ ſunt alia Hebręi ſermonis, ea omnia uita comite, auxilio Dei, propediem pluribus explicata libris dabimus. Tu nunc optime Lector his fruere, quæ non inutilia tibi fore ſperamus. Proinde antequàm finem noſtræ Præfationi imponamus, adhortandi nobis ſunt Studioſi adoleſcentes, ut Dei dona agnoſcant, & grato animo amplectantur, dum licet. Timendum enim omnino nobis eſt, ne, ſi pergamus pia ſtudia Linguarum (in quibus ceu faſcijs inuolutū Chriſtum poſtrema hæc tempora uiderunt) negligere ac contemnere, unà cum illis, et regnum dei nobis eripiatur; atq; ita non ſolum in locum bonarum literarum ſyncerææq; religionis fœda barbaries, ſed & ipſa ſuperſtitio obrepat; quæ duo ita ſibi cohærent, ut neutram ſine altera conſiſtere poſſe, non ſine magno detrimento longis ſeculis experti ſimus. Quare agite Chriſtiani adoleſcentes, diligenter incumbamus sacris ſtudijs, literasq́; bonas noſtra ſedulitate ornemur, ut ueram doctrinam de filio Dei, deq́; Redemptione per illum facta, non

solum

ſolum conſeruemus, ſed ad poſteros uſque, quibus hoc maximè debemus, traducamus, quo ſolus agnoſcatur, inuocetur & celebretur Seruator Ieſus Chriſtus, cui unà cum patre & ſpiritu ſancto gloria, honor & laus ſit in perpetuum. Amen. Valete. Argentinæ. Anno Domini milleſimo quingenteſimo quinquageſimo ſecundo.

LIBER PRIMUS GRAMMATICÆ HEBREÆ DAVIDIS KYBERI ARGENTIN.

Caput primum.

עמו עשו

A Literis & Punctis, quæ minimè ſunt partes Grammaticæ, & prima quędam elementa Linguæ ſanctæ, initium ut faciamus, non ſolùm conſuetudo Grammaticorum noſtri temporis, ſed & natura ipſa ſuadere uidetur. Ex his enim ſyllabæ componuntur, unde poſtea integræ uoces ac dictiones declinabiles ſurgunt: quas ſi ordine ac ratione debita coniungamus, orationem conficiemus, in qua poſtea uniuerſa cognitio חַקְדוּק conſummatur ac deſinit.

De Literis.

LIteras ergo Hebræi numerant uiginti duas, easq́ contra morem Latinorum, simulq́ Græcorũ à dextra sinistram uersus scribunt.

Accidunt literis quinq́. Nomen scilicet, figura, potestas, prolatio & officium.

De nominibus literarum.

ALeph, beth, gimel, daleth, he, uaf, sain, cheth, theth, iod, kaph, lamed, mem, nun, samech, ain, pe, zade, koph, resch, schin, thaf.

De figura literarum.

DVplici utuntur charactere Hebræorum scriptores, quorum alterum appellant כְּתִיבָה אַשּׁוּרִית id est, Scripturam Assyriacam, quod illam Esdras ex Babylone attulisse credatur, uel (ut nonnullis placet) quod à maioribus Iudæorum peregrinantibus apud Chananæos primùm

ex

ex Aſſyria ſit allata, atque ſic ad poſteros uſque deriuata. Nos Maiuſculas uocare poſſumus eas literas, eæ ſunt quibus ſacra Biblia exarant. Quo pacto uerò pingi debeant, Domino uolente libro quarto edocebimus. Alter character, à modernis Iudæis מַשִׁיט nomine etiã ipſis ignoto (teſte Elia in ſuo Thesbite) dicitur, nos minuſculas literas nuncupabimus, quorum uſus eſt in ſcribendis Commentarijs ac Epiſtolis.

Figuræ literarum ſunt,

אבגדהוזחטיכלמנסעפצקרשת

Notandum uerò eſt, literas quinque eſſe in Alphabeto, quæ pro ratione ſitus aliam atque aliam habent figuram, nihil tamen propter hoc uariata earũdem poteſtate. Sunt autem hæ,

kaph, mem, nun, pe, zade.

צ ץ · פ ף · נ ן · מ ם · כ ך

Quum enim principium uel medium di-
ctionis occupant, ſolitam figurã habent,
hoc eſt, eam qua in alphabeto conſpici-
untur. Vbi uerò in finem dictionis collo
catæ fuerint, tum uel extenduntur infe-
riores earum partes, ut fit in caph, nun,
pe, zade: uel clauduntur, ut in mem acci-
dit. Hæc omnia in ſubiectis exemplis pa-
tebunt, מֵעִמָּכֶם כְּבַלְכְּלְךָ
נֶאֱמָן צִיץ פָּנִים פֶּסַח
Quod autem ita extenduntur figuræ lite
rarum in fine, fit illud pro more aliarum
quoqꝫ linguarum, & (ut teſtatur Aben
Eſra) quo decora reddatur ſcriptura, &
ornetur. Sed de his alias plura.

Quod deinde ad figuras literarum at-
tinet, conſiderandum eſt porrò aliquot
eſſe literas, quæ prima fronte uideantur
eiuſdem eſſe figuræ: ſi uerò penitiùs in-
ſpiciantur, habent ſuas certas notas, qui-
bus

bus diſcerni poſſint. Sunt autem iſtæ,

Primò, ב כ נ Beth, præciſum habet dorſum, in inferiori tamen parte prominentem nõnihil: quæ etiam ſi diligentiùs obſerues, aliquãtulum protractior eſt ſuperiori. Kaph uerò habet utranque illam partem æqualem, dorſum uerò rotundũ uel paululum gibboſum. Nun, utraq; litera minor eſt proportione, quod ad duas illas lineas tranſuerſas attinet: nec facilè quiuis errare in illa poterit.

Secundò, ד ר ך Daleth, in latere dextro nonnihil prominet, ita ut acutum intus angulum faciat, à qua litera Caph finalis, non niſi longitudine pedis differt. Reſch autem in tergo, rotundo flexu in ſuum pedem deſinit.

Tertiò, ה ח In He, ſiniſter pes ſuperiori lineæ non coniungitur, quæ etiam aliquanto prominet. In Cheth uerò om-

nia diuerſa eſſe, uides: eſt enim undique clauſa, & nihil prominet.

Quartò, ן ז ו י Iod, unicus eſt apex, ſine pede, quo accedente Vaf efficitur, proportione multùm à Reſch diſtans. A Sain uerò ita differt, quòd illius pes è medio capitis deſcendat. Sain rurſus à Nun finali, breuitate pedis differt.

Quintò, ת ה Pe finale, præciſè in ſiniſtra lineæ ſuperioris parte coniūgitur ei punctus, qui introrſum ſpectat. In Thaf uerò illa linea prominet, & punctus extrorſum ſpectat.

Sextò, ם ס Samech, rotunda eſt litera. Mem finale, planè quadratum.

Eſt & hoc obſeruatione dignum, quaſdam literarum figuras diduci ſolere: idq́ eam ob cauſam: Quando Hebræi in ſcribendo peruenerūt ad finem lineæ, ſuperfueritq́ aliquod uel minimū ſpacium, ita

ut uel

ut uel uacuam illam partem relinquere, uel dictionem aliquam diuidere cogan tur, ut quædam illius literæ in fine huius & aliæ in principio ſequentis lineæ po nendæ ſint, tunc inquam utrique incom modo duplici quoq; ratione occurrunt. aut enim in fine illius lineæ dictionis unã & alteram literam ſine punctis collocãt, integrãq; nihilominus dictionem ab ini tio alterius lineæ ſcribunt: aut ſi hoc face- re non uelint, tum aliquas literas didu cunt, ita ut linea expleatur: ueluti ſunt hæ ם ת ה ל & ſimiles, quibus iſta di ductio accidere poteſt.

Poſtremò nec hoc prætereũdum. He. bræi enim figuris ſuarum literarum non ſecus atque Græci numerare ſolent: atq; hac ratione diuidunt alphabetum, ut pri mus ordo unitates, ſecundus ordo dena rios, tertius ordo cẽtenarios, quartus ue-

rò millenarios numeros complectatur, ut ſubiecta tabula declarabit.

Vnitates,

9	8	7	6	5	4	3	2	1
ט	ח	ז	ו	ה	ד	ג	ב	א

Denarij,

90	80	70	60	50	40	30	20	10
צ	פ	ע	ס	נ	מ	ל	כ	י

Centuriæ,

900	800	700	600	500	400	300	200	100
ץ	ף	ן	ם	ך	ת	ש	ר	ק

Multi poſt thaſ, alias literas ita iungunt,

1000	900	800	700	600	500	400
תתר	תתק	תת	תש	תר	תק	ת

Millenaria,

8000	7000	6000	5000	4000	3000	2000	1000
חא	זא	וא	הא	דא	גא	בא	א̇

Ad hunc modum componũtur numeri,

19	18	17	16	15	14	13	12	11	10
יט	יח	יז	יו	טו	יד	יג	יב	יא	י
29	28	27	26	25	24	23	22	21	20
כט	כח	כז	כו	כה	כד	כג	כב	כא	כ

Anno.

Annotandum eſt, ubi quindecim per יה numeranda forent, Iudæos טו uſurpare: eo quòd priùs ſit unum ex diuinis nominibus, quod prophanare non uolunt. Sed ſatis ſuperq́ de Figuris, nunc ad Poteſtates literarum explicãdas pergamus.

De poteſtate literarum. *Cap.* II.

ALeph, nihil planè ſonat, ſi deſtituatur puncto, quod qualecunq́ habuerit, talem ſonũ exprimet aleph.

בגד hæ tres literæ duplicem ſonum habent, ut infrà capite tertio cognoſces.

ה aſpiratio eſt lenis, à qua litera ח differt, quia habet denſiorem & fortiorem aſpirationem.

ו Quum proprium ſub ſe habet punctum, conſonans eſt. Similiter in fine di-

ctionis quum uenerit, prçcedente aliquo ex iſtis punctis kametz, hireck, zere: ut

וָו תָיו אָבִיו שָׁלֵו בְּסָלָיו

(Has quidem Diphthongos uocant.) Quanquam & cum holem aliquãdo con ſonantis naturã induat, ſed per accidens: dicimus enim מִצְוֹת mizuoth, non mi. zoth. eo quòd alterum uaf huius dictio. nis abſit: erat enim ſcribendum מִצְווֹת Extra hos caſus, uaf ſemper eſt muta: uel (ut Hebræi dicunt) quieſcens litera.

ז ualet s leniſſimum, ita ut ueteres per ſd pronunciarint, ut in dictione אֶזְרַע di xerunt Eſdras, non Eſra, &c.

Notandum eſt, Hebræos habere in al, phabeto tria genera s, ſcilicet

ז ualet gracile uel lene s, ut in dictione ſakan, זָקָן barba.

ס acutum eſt, ut Amoſs, עָמוֹס onus.

שׁ quodammodo duplex s, ut in uoce iſta

iſta, ſſack, שַׂק ſaccus, & ſimilibus.

שׁ ſtridulum uel ſpumoſum, quod nos ſch uocamus, ut eſch, אֵשׁ ignis.

ט facit t, habetq́ magnam affinitatem cum ת quando illud dageſch lene in uentre punctatum fuerit, ut ſæpe una pro altera ponatur: ut in dictionibus טָעָה & תָּעָה uidere eſt, quæ idem ſignificant, errare ſcilicet.

י conſonans eſt quum punctum ſub ſe habet, ut בַּיִת יַעֲקֹב חַיָּה Quieſcens eſt, hoc eſt, non profertur, quum proprio puncto deſtituitur, ut בֵּית אֵל צַדִּיק Porrò quum iod in fine uocis collocatum ante ſe proximè unum ex his punctis kametz, paſſach, holem, ſchurek habuerit, tunc naturam uocalis, uel (ut quibuſdam placet) diphthongi induit. Hebræi uerò uocant מַפִּיק id eſt, eductorem: quod ſcilicet (quum proprio puncto careat, ideoq́ ut

ſuprà

ſuprà dictum, proferri non debebat) edu catur (ut illi loquuntur) à quiete ad motum: ut מָדַי madai, דְּבָרַי deſarai, גוֹי goi, גָּלוּי galui.

כ duplicis eſt poteſtatis, ſicut & פ & ת de quibus ſtatim ſequenti capite.

ל Lamed, quia ſola inter literas reliquas in ſcriptura caput ſupernè eleuat: ideo ab Hebræis Regina literarum, eſt appellata.

מ ualet m.

נ ut n noſtrum profertur.

ע eſt omnium difficillima prolatu, & genuina eius poteſtas ſcribi non poteſt: nam habet medium ſonum inter g & n, quem ueteres aliquo modo obſeruaſſe uidentur, dum עֲמוֹרָה per Gomorrha tranſtulerunt: plerique illam per h, fortius tamen efferunt.

צ ualet z, niſi quòd Diuus Hieronymus

mus uoluit illam habere talem prolationem quæ ſtrictis dentibus & linguæ retractatione (ut ſit in tz) ædatur: ſed non eſt nimis ſuperſtitioſè in hæc litera inquirendum.

ק ualet idem quod Kaph, cum dageſch leni & Græcum cappa. Annotauit & Aben Eſra, quemadmodum lamed ſupernè emineat ſuper literarum aliarum orbitam, ita literam kaph infernè longitudine pedis ſuperare ordinem literarum.

ש duo habet puncta, quorũ alterum יָמִין uocant, id eſt, dextrum, eo quòd in dextrum cornu literæ ſchin ponatur, ſic שׁ & tunc ualet ſch. Alter uerò שְׂמֹאל id eſt ſiniſter dicitur, quòd in ſiniſtra parte ipſius ſchin ponatur, ſic שׂ & tunc s acutum ualet.

De

De literarum prolationibus. *Caput* III.

AVtor libri יְצִירָה apud Hebræos clarißimus, tradit quinque eſſe inſtrumenta loquutionis, quibus uox articulata poßit effici, ſecundum quæ diuidunt Hebræi alphabetum, in quinque partes.

Quædam enim literæ ſunt חֲגָרוֹן id eſt gutturis: comprehenduntur〈que〉 hac uoce memoriæ gratia ita confictæ אֲח הְעַ

Aliæ ſunt חֲחֵיךְ id eſt palati, hac uoce comprehenſæ גִּיכַק

Aliæ, dictæ linguaces, חַלָּשׁוֹן nempe דְּטְלֵנַת

Aliæ uerò חַשִּׁנַּיִם id eſt dentium, hac uoce comprehenſæ זְסַשְׁרַץ

Aliæ poſtremò literæ ſunt חַשָּׂפָה id eſt labij, in hac dictione בּוּמַּף

Hæc

Hæc diuiſio non tantùm utilis ad id eſt, ut cognoſcas quo inſtrumẽto quæq; litera in prolatione opus habeat: ſed etiã eò conducit, ut ſcias mutuum eſſe ſymbolisſmum earum literarum, quæ unius ſunt inſtrumenti, ita quòd facilè inter ſe commutentur: ut בָּזַר & פָּזַר idem ſignificant, ſicut & hæc tria עָלַץ עָלַז עָלַס & רָכִיל & רָגִיל eiuſdem ſunt ſignificationis. Sed de his libro quarto plura.

De dageſch & raphe.

DAgeſch, punctulus eſt qui in uentrem literarum inſeritur, hoc pacto בּ literæ prolationẽ alias leniùs, alias fortiùs intendens. Raphe uerò, eſt uirgula quæ ſupernè literis ſolet imponi ſic בֿ ita ut reſoluat & mollificet prolationem literarum.

Iam ſecundum hæc duo puncta, totum alphabetum trifariàm diuiditur.

Quædam

Quædam enim literæ nunquam recipiunt dageſch: ſunt enim natura ſua ſpiritales & molles, nimirum אח רעה

Quædam non recipiũt raphe, ſed punctum dageſch forte admittunt, ut ſunt, טסש סץ נוזלים

Aliæ, utriuſque diuerſis tamen locis & temporibus ſunt capaces, ut בגד כפת

Porrò quod ad dageſch attinet, eſt illud duplex, non quo ad figuram, ſed quo ad poteſtatem: aliud lene, aliud forte: quorum hæc ſunt diſcrimina.

Lene dageſch nihil aliud facit, quàm ut oſtendat raphe ibi minimè collocandum, nec literam molliter, ſed duriuſculè proferendam. Deinde tantùm habet locum in his ſex literis בגד כפת idq; duobus tantùm modis: primùm, quando hæ literæ principium dictionis occupant, ut בְּרֵאשִׁית breſchith: deinde, quando hæ li-

teræ in medio dictionis poſt ſcheua ueniunt quieſcens, ideſt quod non legitur, ut וַיַּבְדֵּל

Forte dageſch geminam efficit literam, præterea nunquam ſine certa ſignificatione & officio literis adeſt: de qua re infrà ſecundo libro.

Poſtremò, dageſch in omnibus literis locum habet, exceptis אח רעה

Eſt & illud non prætereundum, literas illas ſex בגד כפת nunquam inueniri ſine alterutro horum punctorum. In impreſſis uerò exemplaribus, raphe non ſolet apponi: ſed hæc regula eſt tenenda, Quocunque in loco unam ex his prædictis literis ſine dageſch inueneris, etiamſi actu raphe non fuerit appoſitum, tamen ita legas ac ſi raphe adeſſet ſcriptum.

Porrò uis & prolatio harum literarum ſic ſe habet.

בּ	ualet	b	בֿ	ualet	β uel u cōſonans
גּ		g	גֿ		gh
דּ		d	דֿ		d leniſſimum
כּ		k	כֿ		χ
פּ		p	פֿ		φ
תּ		t	תֿ		θ uel ſ, ſic enim lu-

dæi noſtrates proferunt.

De literis אֶהֱוִי

QVatuor hæ literæ, Quieſcentes à Grammaticis Hebræorum dicuntur: ſolet enim quieſcere (hoc eſt, non legi) quoties proprio puncto deſtituuntur, exceptis uaf & iod, de quibus capite ſecundo. Sæpenumero planè abſunt à dictione, & in longa punctatione abſconſæ quieſcunt, multis interim in locis παραγωγικῶς uocibus adijciuntur. Porrò frequentiſſimè inter ſeſe commutātur: unde Aben Eſra ſępenumero hanc regulam in ſcriptis ſuis repetit, אוֹתִיּוֹת אֶהֱוִי מִתְחַלְּפוֹת id eſt

id eſt, Literæ Eheui, commutantur inter ſe, & cætera. Hæc omnia quarto libro fuſè explicabuntur.

De officio literarum.

NOn ſolùm literæ apud Hebræos dictionibus formãdis & perficiendis inſeruiũt, ſed etiam certis locis & modis grammaticos affectus exprimũt. Quum enim Hebraica lingua ualde ſit compendioſa, ſolent illi literis etiam ſingulis multa ſignificare. Diuidunt ergo Hebræi ultra iam datas diuiſiones, alphabetum in duas æquales partes.

Vndecim literas uocant Radicales, quod ſcilicet non habeant aliquod miniſterium, ſed ubicunq; reperiantur in dictione, de radice, id eſt themate eius eſſe, certò ſcias: & ſunt hæ, גר זחט כעת צקר

Aliæ undecim dicũtur Seruiles, quod interdum certis locis poſſint ſeruire tam

 uerbis

uerbis quàm nominibus in formatione temporum, numerorum, generum, &c. Sunt uerò hæ, משה כתב אלינו

Sed quæ ſint ſingula harum literarum officia, in ſecundo libro proſequemur. Nunc ad puncta uocalia nobis tranſeundum eſt, quæ coniuncta cum literis, uocem demum articulatam efficiunt.

De punctis. Cap. IIII.

LIteræ Hebræorum omnes, ſunt Conſonantes: quare ut Dictiones ſcriptas proferre poſſint, inuenerunt Apices quoſdam & puncta, quæ naturam uocalium haberent.

Sunt autem numero duodecim puncta, quibus accidunt Nomen, figura, poteſtas, natura, & ſitus ſeu collocatio.

Nomen,	*Figura,*		*Poteſtas.*
Kametz	ָ	ualet	a mixtum cum o
Paſſach	ַ		a clarum
Zere	ֵ		e
Sægol	ֶ		æ diphthongum
Hireck	אִ		i
Holem	אֹ		o
Schurek	וּ		u (collectis
Kybutz	ֻ		u gallicum, labijs
Scheua	ְ		e raptum.

Qui tamen punctus ſcheua non eſt propriè uocalis, ſed (ut loquuntur Hebræi) miniſter punctorum omnium. nec enim ſemper legitur: & ſi legi contingat, quàm minimi eſt temporis. Porrò & cum alijs punctis cõponitur: non enim admittunt gutturales purum ſcheua, nam requirũt eæ literæ aliquam dilatationẽ & moram in prolatione, quam ſcheua per ſe largiri non poteſt, utpote punctum ἄχρονον.

Componuntur ergo cum ſcheua, kametz, paſſach, ſęgol, hoc modo ֳ ֲ ֱ uocanturq́; Chatephata, id eſt rapta: eo quòd propter ſcheua ſibi adiunctum, celeriùs proferri & raptim legi debeant.

Quod ad naturam autem punctorum attinet, alia dicuntur magna, id eſt longę uel productæ quantitatis: ut kametz, zere, holem, ſchurek, & hirick, ſequente litera iod, hoc pacto אִי

Alia ſunt parua, id eſt correpta & breuia, ut paſſach, ſægol, hirick ſine iod אִ, chatephkametz, ſchurek.

Alia nullius ferè quantitatis, ut ſunt ſcheua, chatephpaſſach, chatephſægol.

Rurſus alia ſunt ſimplicia, ut ſunt kametz, paſſach, zere, ſægol, hirick, holèm, ſchurek, kybutz, ſcheua.

Alia compoſita, ut ſunt chatephkametz, chatephpaſſach, chatephſægol.

Situs uel collocatio punctorum in eo eſt, quòd quædam capiti literarum imponantur, ut holem, hoc pacto בֹ אֹ

Alia, uentri inſerantur, ut ſchurek, וּ.
Reliqua omnia literis ſubijciuntur.

Appendix.

OBſeruanda eſt differentia inter holem & accentum quendam qui appellatur Refia, qui & ipſe eſt unicus punctulus ſicut & Holem.
Differt autem ab illo, quantitate & ſitu.

Refia eſt enim aliquanto craſſior ipſo holem. Deinde, ſolet poni in medio corpore literæ: hoc pacto, בֹ

Holem uerò inter duas literas ponitur ita, ut ab Aben Eſra dicatur רוֹכֵב עַל שְׁתֵּי אוֹתִיּוֹת id eſt, equitans ſuper duas literas, hoc pacto בוֹ &c.

Alia.

Schurek non niſi in Vaf ponitur, &

ſine Vaſ nuſquam: ideo appellatum eſt Vaſ ſchurek.

Alia.

Vaſ quoq; admittit dageſch, ideo animaduerti debet diſcrimẽ inter ipſum uaſ cum ſchurek, & uaſ dageſſatum: quod ita cognoſces,

Vaſ dageſſatum tum erit, quando ſtatim poſt ſe, uel ſub ſe, aliud punctum fuerit: ut in his exemplis patet, קַוֹּה קִוִּיתִי Pſalmo quadrageſimo.

Vaſ uerò ſchurek, nullum poſt ſe, uel ſub ſe habet punctum: ut, בָּתוּב in eodem Pſalmo. & cætera.

De Scheua.

Scheua (ut diximus ſuprà) nullius ferè eſt quantitatis, ideoq; uel omnino non legitur, uel ſi profertur, fit illud quã breuiſſimè. Vbi uerò legendum, uel non legendum ſit, ſequentes docent regulæ.

Omne

Omne ſcheua ab initio dictionis poſitum, legi debet: ut דְּבָרִים defarim, id eſt, uerba.

Omne ſcheua poſt longas uocales collatum, proferri debet: ut סִיסְרָא ſiſera.

Omne ſcheua ſub litera dageſſata cum dageſch forti, legitur: ut פִּקְּדוּ pikkedu, id eſt, uiſitarunt.

Omne ſcheua ante literas gutturales legi debet: ut, מַלְאָךְ maleach, id eſt, angelus.

Omne ſcheua ſub litera mox geminata, debet legi: ut, הַלְלוּ Hallelu, id eſt, laudate.

Nullum Scheua poſt breuia puncta legitur: ut, אַלְמָנָה almana, id eſt, uidua.

Nullum ſcheua in fine dictionis collocatum legitur: ut דֶּרֶךְ dærech, id eſt, uia.

Appendix.

Si duo ſcheua in medio dictionis con-

currunt, prius ſiletur, alterum legitur: ut אֶשְׁמְרָה eſchmera, id eſt, cuſtodiam.

Si in fine duo ſcheua concurrunt, neutrum legitur.

Ab initio uerò nunquam duo ſcheua concurrere poſſunt.

De Syllabis. *Cap. v.*

HActenus & literarum & punctorum Vocalium rationem expoſuimus: nunc operæ precium eſt, ut & de ſyllabis quæ ex utriſq; coniunctis formantur, aliquid dicamus.

Syllaba igitur eſt comprehenſio unius uel plurium literarum, accedente aliquo uocali puncto.

Sunt autem Syllabæ aliæ Simplices, quæ ſcilicet conſtant unica litera & pun-

cto:ut in his, אֲבָגָדָהָ uel אַבַגַדַהַ aut אֵבֵגֵדֵהֵוֵזֵחֵטֵיֵבֵ & cætera.

Aliæ compoſitæ, quæ duabus uel pluribus literis, intercedente puncto, efferuntur: ut, גוֹג & יַשְׁק & cætera.

Qualemcunque ergo ſyllabam combinare uelis, neceſſe eſt ut initium faciat litera, & deſinat in uocalem: uel (ſi pluribus conſtet literis) prior litera principium, punctum medium, poſterior uerò litera finem prolationis conſtituat.

Hanc regulam ſolùm chet & ain tranſgrediuntur. Quæ ſi finem occuparint dictionis, & habuerint ſub ſe paſſach, prius ſonabit punctum, poſtea literam: ut רוּחַ & שׁוֹמֵעַ proferimus ruach, non rucha: & ſchomeah, non ſchomeha.

Hoc uerò nullam aliam ob cauſam fit, niſi ut earum literarum aſpiratio fortiùs exprimatur.

Quædam

Quædam de quibuſdam apiculis obiter.

ATq; hæc ad facultatem legendi ſanctæ linguæ tyroni ſufficere arbitramur, niſi quis exiſtimet hîc etiam obiter mentionem faciendam Accentuum, quibus non ſolùm eleuãtur ſyllabæ in lectione, ſed & modulatio, ac orationis in ſua membra diſtinctio, apud Hebræos perficitur. Sciendum igitur eſt, quicquid ultra duodecim ſuprà memorata puncta aſcriptũ fuerit apicum uel notarum, omne id nomine Accentuum cenſeri, nihilq́; ad lectionem in præſentiarum facere: niſi ut eam ſyllabam quæ huiuſmodi accentu inſignita fuerit, eleues & acuas.

Si uerò duo accentus, una in dictione fuerint, prior accentus, Grammaticus (hoc eſt, acutus) erit: ideoq́; illam ſyllabã eleuandam demonſtrabit: ut, יְהוֹשֻׁ֒עַ֒ Iehoſchúah.

Eſt &

Est & hoc notandum, per uirgulam hanc — quam Makaph uocant, duas dictiones ita copulari, ut non sicut duæ, sed ut una sint proferendæ: ut אַךְ־הַפַּעַם Achhappaam.

Sed de his infrà suo loco plura. Nunc ad partes Orationis progrediamur.

De Partibus Orationis. *Caput* VI.

PArtes Orationis apud Hebræos, tres sunt: שֵׁם Nomen, פֹּעַל Verbum, & מִלָּה Dictio consignificatiua: sub qua Aduerbia, Coniunctiones, Præpositiones, & Interiectiones comprehenduntur. nam Pronomina, ad Nomen rectè referentur: & Verbo quidem, Participia annumerantur.

Nos quod ad ordinem Partium Orationis attinet, ſequemur uulgatum morem Grammaticorum, qui de Verbo in primis tractant. Eſt enim non ſolùm difficilior Verbi tractatio, ſed etiam pro magna parte ab illo pendet & Nominum cognitio.

De Verbo.

ANtequàm uerborum accidentia explicemus ſcire oportet, thema ſeu primitiuum, ab Hebræis שֹׁרֶשׁ id eſt radicem, appellari. Sicut enim ex radice uarij rami naſcuntur, quorum tamen origo & uegetatio à Radice pendet: ita à Themate, uarij affectus Grammatici (quæ accidentia appellant Latini) deſcendunt, quorum uis & ſignificatio in themate eſt poſita.

Obſeruandum deinde, radices omnes apud Hebræos (ſiquidem purè Hebrææ

ſint

ſint) pauciſſimis exceptis, tribus literis conſtare. Quare ut certos modos, perſonas, numeros & cætera, exprimant, oportet ut accedant aliæ literæ & terminationes ſeruiles, ad hoc deſtinatæ officium: quibus poſtea cum iudicio reiectis, thema ipſum apparebit. Sed de his poſtea ſecundo libro.

Poſtremò notandum, tribus literis radicalibus, ſingulis ſuum nomen datum eſſe à Grãmaticis Hebræorum: quorum paradigma antiquitùs fuit פַּעַל Iuxta cuius uerbi literas poſtea alia uerba æſtimarunt ita, ut cuiuſcunque uerbi uel nominis Primam eſſentialem literam appellarint פֵּא הַפּוֹעַל Alteram עַיִן הַפּוֹעַל Poſtremam uerò לָמֶד הַפּוֹעַל Nam quum inter coniugandum aliqua litera radicalis exciderit, dicunt Deficit in pepoal: id eſt, Deficit prima litera thematis.

De uer

De uerborum accidentibus.
Cap. VII.

ACcidunt uerbis, Qualitas, ordo, coniugatio, tempus, genus, numerus, persona, & figura.

Qualitas.

QValitate ita distinguuntur Verba, ut alia sint Transitiua, alia Absoluta, seu Neutra.

Transitiua, uocant Hebræi פּוֹעֲלִים יוֹצְאִים אוֹ מִתְעַבְּרִים id est, uerba egredientia aut transeuntia: eam ob causam (ut dicit Elias) שֶׁהַפְּעוּלָּה יוֹצֵאת מִמֶּנּוּ לְזוּלָתוֹ hoc est, quòd ipsa operatio ab eo exeat in aliud: ut sunt hæc uerba, אָהַב dilexit, שָׁמַר custodiuit, & cætera.

Neutra, appellant עוֹמְדִים אוֹ בּוֹדְדִים אוֹ בִּלְתִּי מִתְעַבְּרִים id est, stantia uel solitaria

ria, aut intranſitiua: eo quod teſte Elia, שֶׁהַפְּעוּלָּה עוֹמֶדֶת בְּגוּת וְלֹא יוֹצֵאת לְזוּלָתוֹ׃ id eſt, eo quòd operatio conſiſtat in corpore (uel perſona) agentis, nec tranſeat in aliam, ut ſunt hæc uerba הָלַךְ abijt, נוּחַ quieuit, יָשַׁב ſedit, & cætera.

Cognoſcuntur autem uerba tranſitiua à neutris, quòd hæc admittunt poſt ſe articulum accuſatiui אֵת & ante ſe particulam מָה id eſt, quid. Rectè enim dicitur, וַיהוָה פָּקַד אֶת־שָׂרָה id eſt, & dominus uiſitauit Saram, Geneſis capite xxi. Rectè etiam dicitur, מָה אֶעֱשֶׂה לְּךָ אֶפְרַיִם id eſt Quid faciam tibi Ephraim? Oſeæ cap. vi. Sunt enim hæc duo uerba tranſitiua.

Rurſus non rectè dixeris, פְּלוֹנִי יָשַׁב אֶת־מוֹשָׁב id eſt, aliquis ſedit ſedem, eſt enim neutrũ: ſed dicemus, ut habes Pſalmo primo, uerſu primo, בְּמוֹשָׁב id eſt, in ſede, in cathedra.

Proinde uerba neutra non habent paul, nec niphal, nec admittunt post se affixa, quæ omnia Transitiua habent.

Ordo.

HEbræi uniuersam copiam uerborũ in sex classeis seu ordines redegêre, quorum primus eorum est quæ perfecta dicuntur, quem Elias in libro Electo, oratione prima, fundamento tertio, ita definit, כָּל הַפֹּעַל נִקְרָא מִגִּזְרַת הַשְּׁלֵמִים הוּא אֲשֶׁר אֵין בּוֹ אַחַת מֵאוֹתִיּוֹת אֱהֱוִי וְאֵין בּוֹ נוּן בְּרֹאשׁ וְגַם אֵין שְׁתֵּי אוֹתִיּוֹת אַחֲרוֹנוֹת דּוֹמוֹת כִּי אִו לא תֶּחְסַר אַחַת מִשָּׁלֹשׁ אוֹתִיּוֹת הַשָּׁרְשִׁיּוֹת לְעוֹלָם לְעוֹלָם לְבַד נִקְרָא שָׁלֵם: Sensus est, Illud uerbum dici perfecti ordinis, quòd nullam ex quiescentibus literis, nec nun primam radicalem, neq; etiam duas posteriores similes literas: quum enim tale extiterit, tunc per omnes coniugationum modos, sine ulla amissione literarum inflectitur

flectitur

flectitur uerbum, quod in reliquis quinque ordinibus, quum ſint imperfecti, fieri non poteſt. Exempla huius ordinis, פָּקַד שָׁמַר שָׁפַט

In ſecundum reiecerunt ea uerba, quorum pepoal eſt nun, reliquis duabus literis primum ordinem imitãtibus: hoc eſt, quę non ſunt uel ex אהוי uel ſimiles: nam ſi tales eſſent, ad anomala quę ex duobus ordinibus cõpoſita ſunt, referẽda eſſent. Exempla, נָגַשׁ נָסַע נָחַם Hæc uerba uocãt Hebræi Grammatici, חֲסֵרֵי פֵּא נוּן id eſt, deficientia in pe nun: quandoque enim in pe nun, id eſt, prima radicalis quæ eſt nun, in his uerbis inter coniugãdum excidit. Dicimus enim à נָגַשׁ in futura אֶגּוֹשׁ ſupplente dages defectum illius nun.

Tertiæ claſſis tribuuntur uerba, quorum prima radicalis fuerit uel aleph, uel iod, ut אָהַב יָרַע Dicuntur hæc uerba ab

Hebræis נָחֵי פֵּא אָלֶת וְיוֹד id eſt, quieſcentia in prima radicali quæ eſt uel aleph uel iod. Nam à uerbo יָדַע in futuro dicimus אֵדַע quieſcente iod ſub zere longa uocali: id quod in ſequentibus duobus ordinibus ſimiliter fit: nam longæ uocales nō rarò indices ſunt quieſcentium quatuor literarum.

Ad quartum ordinem pertinent uerba, quorum media radicalis eſt uaf, quæ Hebræi uocant Quieſcentia in ain uaf, ut ſunt hæc uerba סוּר שׁוּב קוּם &c.

Quintæ claſſi aſcribuntur uerba, quorum tertia eſt uel aleph uel he, quæ uocāt quieſcentia in lamed aleph, uel he: ut ſunt hæc uerba קָרָא גָּלָה קָרָה &c.

In ſextum ordinem conijciūtur uerba quæ uocāt חֲבֵפוּלִים id eſt duplicata, quorum ainpoal & lamedpoal ſimiles ſunt, quarum altera inter coniugandum ſæpe

numero

numero abijcitur, & per dages denotatur, ut à סָבַב dicitur סַבּוֹ

Appendix.

SVnt etiam quædã uerba, quæ ex duobus ordinibus componũtur, quæ uocant נָחֵי הַקְּצָווֹת & חַסְרֵי הַקְּצָווֹת id eſt, quieſcentia in extremitatibus & deficientia in extremitatibus, quæ inter anomala cenſentur, nec opus eſt illis proprios ordines conſtituere: quum enim coniugantur, ſequuntur aliorum quieſcentium formationem, ut exempli gratia נָטָה & נָשָׂא quod ad principium attinet, inflectũtur ut uerba ſecũdi ordinis: quod ad finem, ut uerba quinti ordinis.

Sunt etiam uerba quædam quatuor conſtantia literis, ad perfectorũ ordinem pertinentia, ideoq́ proprio ordine non opus habent, ut ſunt בִּרְזֵל כִּרְסֵם &c.

Alia.

Verba sunt uel

- Perfecta, quæ integrè per omnes coniugationes inflectũtur, ut sunt uerba primi ordinis פָּסַר
- Imperfecta: eaq́ue uel
  - Deficientia in pe nun, ut נָגַשׁ
  - Quiescētia uel in
    - Pe aleph uel iod, { אָמַר / יָדַע }
    - Ain uaf, סוּם
    - Lamed aleph, uel he { קָרָא / גָּלָה }
  - Duplicatorum, ut סָבַב

Quiescit

Quiescit ergo tantùm	in	alias in uerbis nunquam quiescẽtes, sed perfectæ censentur, nam	Verba sunt perfecti ordinis.
א	initio & fine		שאל & בהל
ה	fine		חרר
ו	medio		nullum uerbũ à ו incipit
י	initio		עית

Coniugatio. *Cap.* VIII.

QVatuor sunt coniugationes apud Hebræos, quarum prima קַל id est, leuis dicitur: de qua Rabbi Dauid Kimhi in absolutissima illa Grammatica, quam inscripsit Michol, ita disserit,

בנין הקל יסוד הפעלים ונקרא כן כי לא נוסף
בו אות על האותיות היסודיות כי אם לשמוש
לצורך לבנינו לנמצא ולנסתר ולמדבר בעדו
ולנקבה ולרבים ולרבות והאות משמשת אינה
הוספת אחר שהיא לצורך השמוש ולהורות
על המדבר אבל הה״א והמ״ם הנוספות בבנין ה
הפעיל וכן בשאר הבנינים היא תקרא תוספת
כי אינם מורות על המדבר ואינם משמשות
רק הם להכרת הבנין: hoc eſt, Coniugatio kal eſt fundamentũ omnium uerborum, & appellatur ſic, quoniam in ea nulla eſt ſuperaddita litera ſupra eas quæ (ſicut & in omnibus coniugationibus) neceſſariò requiruntur ad exprimendas perſonas, genera & numeros. litera enim ſeruilis non eſt addititia, poſtquàm neceſſariò requiritur ad denotãda accidentia iam memorata. uerùm litera he & mem in hiphil & alijs coniugationibus dicuntur addititiæ, quia non ſunt indices perſonarum,

ſed tan.

ſed tantùm uerbis addũtur ad diſcernendas coniugationes. Hæc ille.

Breuiter, hæc coniugatio dicitur Kal, id eſt Leuis, tum quia nec literam ullam ſupra treis radicales habet, nec punctulo dages grauatur, quum etiam quia leuiùs ſignificat.

Paſſiuum eius dicitur נפעל à forma. Nun enim ſuperaddita radici, characteriſticha eſt huius paſſiuæ primæ coniugationis.

SEcunda dicitur grauis uel piel, de qua autor libri Pethach defarai, ita ſcribit,
הבנין הזה נקרא פיעל הדגוש הכבד כי לעולם
לא יבא בלא דגש בהיות עין הפעל שלו מק
מקבלת הדגשות לבד מקומות מעטים שבא ר
בלא דגש להקל על הלשון כמו ויבקשו ל
לשלוח יד אה על הרוב בא הדגש ;

Hoc eſt, Coniugatio iſta uocatur piel dageſſata grauis, quoniam perpetuò habet

dageſch, ſi modò ipſius uerbi ainpoal capax fuerit punctuli dageſch (nam ſi fuerit gutturalis uel reſch, tunc hireck & dageſch, quod in ainpoal debebat poni, cõiunguntur, & conſtituunt zere, & dicimus בֵּרֵךְ pro בִּרֵּךְ) exceptis etiam pauciſſimis locis, in quibus abijcitur dages, euphoniæ gratia, & ut prolatio ipſa alleuietur. Habet ergo hæc coniugatio dages in ſecunda radicali.

Paſſiuum eius habet ſimiliter dages: differt uerò ab actiuo puncto kybuz, nam actiuum habet hireck, ut patet in hoc exemplo, פִּקֵּר actiuum eſt, פֻּקַּר paſſiuum eſt.

TErtia cõiugatio dicitur hiphil, quam autor proximè citatus ita definit in ſua Grammatica,

בנין הזה נקרא הכבד הנוסף בעבור שיש בו תוספת הא בעבר צווי ומקור וגם בן הפועל והפעול

וְהַפְּעוּל בָּאִים בְּתוֹסֶפֶת מֵם עַל הַשֹּׁרֶשׁ מִלְּבַד
הַיּוֹד הַנִּרְאֵית בְּרוֹב הַבִּנְיָן ;

Hoc est, Hæc coniugatio uocatur grauis addita, propterea quòd in illa est additio he, in preterito, imperatiuo & infinitiuo: præterea etiam in benoni & paul, mem accedit ad radicem, præter iod etiã quod ferè per totam coniugationem apparet. Hæc ille. Vocatur autem & hæc coniugatio hiphil, propter characteristicas literas eius: nam he ante primam radicalem, iod ante tertiam, cum pũctis hireck collocatur in hac coniugatione, ut הִפְעִיל

Passiuum eius uocatur hophal, nec differt ab actiuo, nisi quòd alteram characteristicam, scilicet iod, amittit & he, cum hatephkamez punctat, ut הָפְעַל

QVarta, à forma uocatur Hithpael, nam syllaba הִתְ præfixa uerbis secundæ cõiugationis, facit uerbum transi

re in

re in hanc coniugationem. Vocatur autem illa apud Grammaticos Hebræos, אָב וְתוֹלָדָה id eſt, pater & proles, hoc eſt, quæ & agat & patiatur una in perſona: habet enim reciprocam ſignificationem, ut הִתְקַדֵּשׁ ſeipſum ſanctificauit.

Vnde notandum eſt, quòd Hebræi actiuam formam אָב id eſt, patrem: paſſiuam uerò תּוֹלָדָה id eſt, prolem appellant: ſicut enim à patre generatur filius, ita ab actiuis paſſiua, מְקַבְּלִים חֲבוֹ וְהַסִּבָּה שֶׁלָּהֶם id eſt, Recipiunt uim & effectum ſuum, & cætera.

Componiturq́ue hæc coniugatio ex omnibus: nam à prima habet radicem, à ſecunda da.geſch, à tertia he, à ſeipſa uerò ת literam

Tempus. *Cap. IX.*

TEmpus uocant זְמַן uel פְּעֻלָּה id eſt, modus operatiõis, ſub quibus comprehendunt promiſcuè & modo & tempora: quorum ſex hoc ordine numerant.

Primò, הֶעָבַר hoc eſt, præteritum perfectum, ſub quo & imperfectum & pluſquàm perfectum comprehendunt: ut, פָּקַד id eſt, uiſitauit.

Secundò, הַבֵּינוֹנִי hoc eſt, intermedium, quia partem præteriti, partem futuri ſibi uindicet: aliâs הֹוֶה id eſt, præſens, & participium præſens: ut, פּוֹקֵד uiſitans.

Tertiò, הַפָּעוּל hoc eſt, paul participium præteritum, ſic à forma appellatum: ut, פָּקוּד uiſitatus.

Quartò, הַמָּקוֹר hoc eſt, infinitiuus, ſignificat uox Scaturiginem, quod ab ipſo omnes

ſo omnes operationes tanquam ex fonte ſcaturiant: ut, פַּקּוֹד uiſitarem.

Quintò, הַצִּוּוּי hoc eſt, imperatiuus: ut פְּקוֹד id eſt, uiſita.

Sextò, הֶעָתִיד hoc eſt, futurum: ut אֶפְקוֹד id eſt, uiſitabo.

Numerus.

NVmerus in Verbis, duplex eſt. Singularis, לְיָחִיד ut cuſtodiuit. Pluralis, לְרַבִּים ut שָׁמְרוּ cuſtodierunt.

Genus.

GEnus, apud Hebræos, de diſcrimine ſexus intelligitur in Verbis.

Eſtq; aliud לְזָכָר id eſt, maſculinum, ut פָּקַד id eſt, uiſitauit uir. Aliud uerò fœmininum, לִנְקֵבָה ut פָּקְדָה uiſitauit mulier. Poſtremò aliud utriq; generi commune שָׁוֶה ut פָּקַדְתִּי uiſitaui.

Solet tamen nonnunquam ſcriptura uerbo maſculino iungere fœmininū nomen

men, & contrà: ut habes 1 Samuelis 25. אֲשֶׁר הֵבִיא שִׁפְחָתְךָ id est, quæ adduxit ancilla tua, &c. Sed de his aliàs plura.

Persona.

PErſonas appellant גּוּפִים & נִדְבָּרִים Sunt autem tres, quas diuerſo à Latinis ordine collocant.

Primum enim apud illos locum occupat לְנִסְתָּר id eſt, tertia: ut פָּקַד uiſitauit.

Deinde uerò ponitur ſecunda, ab illis dicta לְנִמְצָא ut פָּקַדְתָּ uiſitauiſti.

Poſtrema eſt מְדַבֵּר בַּעֲדוֹ id eſt, prima: ut פָּקַדְתִּי uiſitaui.

Proinde referenda huc duxi, quæ de perſonis annotauit Rabbi Dauid Kimhi, in hanc ſententiam ſcribens,

וְהַנִּדְבָּרִים הֵם בִּשְׁלֹשָׁה דְרָכִים וּמִנְהַג הַלָּשׁוֹן הוּא לְדַבֵּר בָּהֶם בְּאַחֵר לִפְעָמִים כְּמוֹ כִּי יֵבֹשׁוּ מֵאֵילִים אֲשֶׁר חֲמַדְתֶּם ׃ Hoc eſt, perſonæ triſariàm diuiduntur, eſt autem conſue-

tudo

tudo ſcripturæ ut illis utatur promiſcuè, alteram pro altera interdum ponens: ut, Quoniam pudefient ab arboribus, uel propter arbores, quas deſideraſtis, Eſaiæ capite primo. Hæc ille.

Figura.

COmpoſitiones neſciunt Hebræa uerba, cuiuſmodi apud Latinos habentur, ut ſcilicet Verbum cum Præpoſitione coaleſcat, & ita ſignificatio eius uel augeatur uel minuatur.

Faciunt quidem aliqui duas figuras. Simplicem, ut פָּקַד id eſt, uiſitauit. Compoſitam, ut פְּקָדוֹ uiſitauit eum. Sed hoc non eſt figura, ſeu compoſitio, ſed potiùs (ut Hebræi loquuntur) affixio literæ ſeruilis ad uerbum ſimplex, unde uerbum in ſe & ſua ſignificatione nullam patitur compoſitionem.

Sunt quidem in lingua Hebraica, uerba quæ

ba quæ uocant מוּרְכָּבִים id eſt, compoſita, quæ uel ex duobus ordinibus, uel duabus cõiugationibus, uel duobus temporibus conſtant.

Suntq́ anomala uerba dicenda, de quibus proprio in libro agemus אי״ה. Satis eſt illorum hîc obiter mentionem feciſſe.

Explicatis ergo accidentibus, proponamus paradigma coniugationũ ſingularum, ut illarũ formationes ſtudioſi cognoſcant. Vtemur autem uſitato paradigmate פָּקַד ad cuius normam omnia uerba perfecta inflectenda ſunt.

Paradigma coniugationis primæ.
Cap. X.

PRæteritum primæ coniugationis Kal,

חֶעָבָר

Personæ						
Prima	פָּקְדָה	F.	פָּקַד	M	Si.
Secũda	פָּקַדְתְּ	F.	פָּקַדְתָּ	M	Si.
Tertia,			פָּקַדְתִּי	C	Si.
Prima			פָּקְדוּ	C	Pl.
Secũda	פְּקַדְתֶּן	F.	פְּקַדְתֶּם	M	Pl.
Tertia			פָּקַדְנוּ	C	Pl.

Versio,

Visitauit uir. Visitauit mulier.
Visitauisti uir. Visitauisti mulier.
Visitaui. communis generis.
Visitauerunt. commune.
Visitauistis uiri. Visitauistis mulieres.
Visitauimus, communiter.

Formatio.

CHaracteristicæ literæ huius temporis sunt istæ sex תתימון quæ ad finem radicis uel binæ uel singulæ adijciuntur, personarũ, generum, numerorumq́ discrimina indicantes.

ה enim index est tertiæ personæ fœmini-

nini

nini ſingularis, quòd quandoque in thaſ, præcedente kametz uel paſſach, conuertitur: ut, כִּי אָזְלַת יָד Deuteron. xxxij. cap. & וְקָרָאת אֶתְכֶם Deuter. cap. xxxi.

ת cum kametz, ſecundam perſonam maſculini generis, ſingularis num. cum ſcheua uerò, fœmininam conſtituit.

וּ uaſ ſchureck facit tertiam pluralem communem.

תִּי ſyllaba radici ſubiuncta, primã perſonam ~~plural~~em communem efficit. singularis

תֶּם index eſt ſecundæ perſonæ pluralis numeri maſculini generis.

תֶּן uerò fœminini generis index eſt.

נוּ radici poſtpoſita, primam perſonã pluralis numeri, communi gen. indicat.

Atque his literis formantur omnia præterita omnium coniugationum.

His ita expoſitis, oportet etiam punctationem ipſius radicis per ſingulas eius

literas oſtendere. Hæ enim quas modò diximus, ſunt accidentales, ſeu ſeruiles.

PEpoal itaqꝫ in omnibus perſonis habet kametz, excepta perſona ſecũda plurali: in quibus propter accentum, kametz in ſcheua commutatum eſt.

AInpoal, per omnes perſonas habet paſſach, ſequente ſcheua quieſcente ſub lamedpoal: exceptis tertia ſingularis fœminini, & tertia pluralis communi generis: quæ duæ perſonæ non poſſent admittere paſſach, quum poſt illud utpote breue punctum uel ſcheua quieſcens (uti uides in omnibus perſonis præteriti) uel dages neceſſariò requireretur, quorum neutrum in his duabus perſonis fieri poteſt. Quum nanque utraqꝫ ſit diſſyllaba, non poſſet ſcheua quieſcens ante he & uaf locum habere, ſicuti in פִּקַּדְתִּי quæ eſt triſſyllaba. Proinde ut dicamus cum dages

פְּקַדְתְּ פְּקַדְתְּ obſtat natura coniugationis quæ ob id kal, id eſt leuis dicitur, quod punctulo dages nequaquã aggrauetur. Quamobrem in dictis duabus perſonis paſſach in ſcheua commutatum eſt.

Appendix.

TErtia perſona pluralis quandoq; habet nun paragogicum, ut אֲשֶׁר לֹא יְדָעוּן אֲבֹתֶיךָ Sicut & ſecunda perſona maſculini generis, ſingularis numeri, ſæpe ה paragogem aſciſcit, ut dicamus פָּקַדְתָּה

Alia.

AIn hapoal, in prima coniugatione kal, in tertia perſona ſingularis maſculini, triplicem habet terminationem: uel enim in paſſach deſinit, ibiq; omnium frequentiſſimè, uel in zere, uel in holem: quæ tres terminationes uno in uerſu reperiuntur, qui extat Exodi XL. capite, וְלֹא יָכֹל מֹשֶׁה לָבוֹא אֶל־אֹהֶל מוֹעֵד כִּי שָׁכַן

עָלָיו הֶעָנָן וּכְבוֹד יְהוָה מָלֵא אֶת־הַמִּשְׁכָּן :
Quod ad priorem terminationē attinet, formationem eius iam tradidimus.

Quæ uerò zere habent, perpauca in ordine perfectorum reperiūtur, præſertim tranſitiuæ ſignificationis. Sunt enim ferè uerba abſoluta in aleph tertiã radicalem deſinentia. Formatio illorum eadem eſt in præterito, quæ deſinẽtium in paſſach, niſi quòd tertia perſona fœminini ſingularis, in pauſa cum zere conſpicitur: ut חָפֵצָה Item tertia perſona pluralis, cōmuni generis, non ſolùm zere habet, ſed & dages, לְתִפְאֶרֶת הַקְּרִיאָה id eſt, ornatus gratia: ut בְּיִשְׂרָאֵל חָדֵלּוּ id eſt, in Iſrael ceſſarunt, Iudicum cap. v. Quemadmodum & in reliquis perſonis, & ſcheua & paſſach in kametz conuertuntur (id quod etiam in omnibus partibus Orationis fieri conſueuit, ut propter accentum breuia

puncta

puncta in longa commutentur) ut Genesis capite xxxi. אֶת־כָּל־רְכוּשׁוֹ אֲשֶׁר רָכָשׁ
Deuteronom. cap. viij. פֶּן תֹּאכַל וְשָׂבָעְתָּ
Ezechielis capite xxxij. מִנִּי נָשַׁמּוֹת
Genesis cap. xxxi. וְאֵילֵי צֹאנְךָ לֹא אָכָלְתִּי
Et sic in alijs compluribus.

Quæ in holem terminantur, perpetuò sunt absoluta: ideoq́ nec participiũ præsens, nec præteritum habent, sed loco illorum nomina formalia admittunt.

Hæc uerba per omnes personas præteriti holem suum retinẽt: dicimus enim, קָטֹנְתָּ קָטֹנְתִּי קְטָנְתֶּם יָכֹלְנוּ Excipe tertiam fœminini singularis personã, & pluralis numeri tertiam commu. gen. personam, quæ loco holem scheua habent, ut יָכְלָה יָכְלוּ Quanquam in pauca suum holem, accedente etiam interdum dages, ornatus gratia recipiant: ut Esaiæ lxiiij. cap. הָרִים נָזֹלּוּ Exodi viij. וְלֹא יָכֹלּוּ

Significatio præteriti.

PRimò, Hebræa lingua non habet ea diſcrimina præteritorum, quæ apud Latinos trifariàm diuiduntur: ſed una & eadem uoce omnia genera prçteritorum exprimit. Vtra uerò ſignificatio in unoquoq; loco ſequenda ſit, ex ſerie & natura orationis animaduertere oportet. Exempli gratia ponatur פָּקַד uiſitauit.

Præteritum perfectum eſt, ut Threnorum cap. iiij. פָּקַד עֲוֹנֵךְ בַּת אֱדוֹם id eſt, uiſitauit (Dominus) peccatum tuum, filia Edom.

Præteritum imperfectum eſt, ut Geneſis cap. xxi. וַיהוָה פָּקַד אֶת־שָׂרָה id eſt, & Dominus uiſitabat Saram.

Præteritum plus quàm perfectum eſt, ut Ruth capite I. כִּי פָקַד יְהוָה אֶת-עַמּוֹ id eſt, quoniam uiſitauerat Dominus populum ſuum.

SEcundò, ſolet præteritum in pluribus locis, præſertim uerò in Propheticis ſermonibus, propter rei certitudinē, pro futuro poni: ut Geneſeos xxi. cap. וּבֵרַכְתִּי אֹתָהּ וְגַם נָתַתִּי מִמֶּנָּה לְךָ בֵּן׃ id eſt, benedicam ei, & etiam dedi (pro dabo) ex ea tibi filium. Micheæ cap. vij. אַל תִּשְׂמְחִי אֹיַבְתִּי לִי כִּי נָפַלְתִּי קָמְתִּי hoc eſt, ne læteris inimica mea propter me, quia cecidi, ſurrexi. pro ſurgam.

TErtiò, præteritum per literam uaf præpoſitam, in futurum cōuertitur. Pro cuius declaratione notādum eſt, uaf duo habere officia.

Primum quidem, quòd uel nomina nominibus, uel uerba uerbis, &c. copulat: unde וָיו הַחִבּוּר id eſt, uaf copulatiuum dicitur.

Alterū quidem, quòd non ſolùm duo uerba copulat, ſed & præterita conuertit

in futurum, & contrà, ut in Futuro infrà audiemus, unde illi appellatio וָיו הַהִפּוּךְ nata eſt. Punctatio genuina & frequentior in utroq; officio eſt eadem, nimirum ſcheua. Vt ergo cognoſci poſſit utrum uaf ſit uel copulatiuum uel cõuerſiuum, ſequentes regulæ ſunt animaduertendę.

Prima, Quum præteritum cum uaf præpoſito, aliud ante ſe habuerit præteritum, tunc illud uaf eſt copulatiuum tantùm, ut Eſaiæ cap. xli. מִי פָעַל וְעָשָׂה id eſt, quis operatus eſt & fecit? Quando uerò uerbum præteritum, à cuius initio uaf ſcheuatũ poſitum eſt, nullum aliud præteritum ante ſe habuerit, inde cognoſces illud uaf eſſe conuerſiuum: ut Eſa. cap. ij. וְהָיָה בְּאַחֲרִית הַיָּמִים id eſt, & erit in poſtremis diebus. Item Eſa. cap. xiij. וּפָקַדְתִּי עַל תֵּבֵל רָעָה id eſt, & uiſitabo ſuper maliciã orbis, quo in loco uaf ſchureck habet loco ſche

co ſcheua. Eſt enim regula, Vaf ante literas labiales, ſchureck requirere: de quo in Officijs literarum, ſecundo libro.

Secunda. Præterita cum uaf copulatiuo in ſecunda & prima perſona, ſemper habent accentum milel, id eſt, in ſuperiore dictionis regione. Quum uerò uaf fuerit conuerſiuum, tum habent accentum milra, id eſt, in inferiore ſeu poſtrema parte dictionis: ut Oſeæ cap. xij. וְדִבַּ֫רְתִּי עַל הַנְּבִיאִים id eſt, & loquutus ſum ad prophetas. uaf copulatiuum eſt duntaxat. Et Exodi cap. xv. וְשָׁמַרְתָּ֫ אֶת-כָּל חֻקָּיו id eſt, & cuſtodies omnia ſtatuta eius. uaf eſt conuerſiuum.

QVartò, præteritum non rarò pro præſenti accipitur, præſertim uerò in Pſalmis, Prouerbijs, & Iob, & cætera. ut Pſalmo primo, אֲשֶׁר לֹא הָלַךְ id eſt, qui non ambulauit: i. qui non ambulat.

Quæ

Quæ uerò hucuſque de ſignificatione præteriti dicta ſunt, & de ſignificatione aliorum temporum porrò dicentur, ea ad omnium Coniugationum tempora pertinent.

Caput XI.

PArticipium præſens, חֲבֵּינוֹנִי

Pluraliter,	Singulariter,	
פּוֹקְדִים	פּוֹקֵד	M.
פּוֹקְדוֹת	פּוֹקְדָה uel פּוֹקֶדֶת	F.

Interpretatio,

Viſitans uir,	Viſitantes uiri.
Viſitans mulier,	Viſitantes mulieres.

Formatio.

FIguratiuæ literæ participij præſentis ſunt quinque, in hanc uocem חֲתִימוֹ memoriæ gratia redactæ, quæ ſingulæ uel binæ

binæ, aut poſt primã radicalem, aut poſt ultimam collocantur. Nam

ו litera cum holem poſt pepoal, in omnibus perſonis adijcitur.

ה præcedente kametz, & ת præcedente ſægol, in finem radicis poſitæ, fœmininum ſingulare conſtituunt: quamuis poſterior terminatio magis in uſu ſit, quàm ea quæ in ה deſinit.

ים ſyllaba, præcedente hirek, nota eſt pluralis maſculini, ut & in Nominibus.

ות uerò, fœmininũ plurale conſtituit.

Pehapoal (ut dixi) in omnibus perſonis & numeris habet poſt ſe uaf holem, uel ſaltem ipſum holem.

Ainhapoal, in ſingulari maſculino zere habet. In fœminina terminatione, quæ deſinit in thaf, præcedente ſægol, habet ſimiliter ſægol. In reliquis omnibus, zere in ſcheua commutatum eſt.

Appen

Appendix.

VErba quorũ lamedpoal est uel chet uel ain, ea in singulari masculino ad zere passach quoq; adiungunt sub ipsa lamedpoal, & à uerbo פָּתַח id est, aperuit, dicamus פּוֹתֵחַ aperiens; & à שָׁמַע id est audiuit, dicimus ut in Psalmo lxv. שׁוֹמֵעַ תְּפִלָּה id est, audiens orationem.

Quanquam in his postremis uerbis, hoc est quæ in ain terminãtur, breuitatis gratia, & (ut loquuntur Hebræi) לְהָקֵל עַל הַקְּרִיאָה zere sæpe extritum inueniamus, ut Psal. xciiij. הֲנוֹטַע אֹזֶן ubi נוֹטַע pro נוֹטֵעַ id est, plantans, positum est.

Alia.

SVb ain hapoal loco zere aliquando Shireck, sequente iod, positum in sacris literis inuenimus: ut Psal. xvi. אַתָּה תּוֹמִיךְ גּוֹרָלִי pro תּוֹמֵךְ & Esa. xxxviij. הִנְנִי יוֹסִיף עַל יָמֶיךָ pro יוֹסֵף

Signi-

Significatio participij præsentis.

PRimò, appellatur hoc tempus communiori nomine בֵּינוֹנִי hoc est, intermedium, eo quòd (ut scribit autor grammaticę Hebręæ quæ inscribitur Pethach desarai) עַל שֶׁהוּא עוֹמֵד בֵּין הֶעָבָר וּבֵין הֶעָתִיד hoc est, quòd stet inter præteritũ & futurum: id est, quòd constet ex præterito & futuro tempore, ut in hoc uerbo רְאוּבֵן אוֹכֵל id est, Ruben comedens: innuit illum iam cœpisse edere, & porrò esurum, quia adhuc in actione edẽdi est.

SEcundò, alia est causa, quur intermedium seu indefinitũ appelletur, quia omnibus personis est commune, imò talem repræsentabit, quale illi Pronomen uel Nomen coniunxerit: ut,

Ego uisito,			אֲנִי
Tu uisitas,	}	פּוֹקֵד {	אַתָּה
Ille uisitat.			הוּא

Et sic

Et ſic in fœminino & plurali, præpo-
ne particulas uel Pronomina omnium
perſonarum, & habebis præſens per om
nes perſonas uariatum.

Quæq; modò diximus, ea ad ſequens
tempus quoq; accommodāda ſunt: nam
& illud, intermedium à grammaticis He-
bræorum eſt dictum.

TErtiò. Proinde hoc tempus, quum
non definitum quid declaret, ideo a-
liquando שֵׁם הַפּוֹעַל id eſt, nomen uerbi
nuncupatur, quod ſe habet inſtar nomi-
nis formalis, quod uocant שֵׁם הַתּוֹאַר à
quo tamen rurſus ita differt, quòd ſchem
hapoal de eo tantùm dicitur agente, qui
in actione eſt: Schem uerò hatoar, de eo
rectè prędicatur, qui in actione aliqua fre
quenter fuerit, etiam ſi tum quum ita ap-
pellatur, non agat: ut exempli gratia גּוֹנֵב
furans, participij præſentis eſt, & nomi-
nis

nis quandam ſpeciem habet. Dicitur autem de eo qui iam reipſa furatur. גַּנָּב uerò nomen formale, id eſt, fur: de eo dicitur qui conſueuit furari, etiamſi iam actu non furetur.

POſtremò, participium præſens, ſæpe numero abſolutè accipitur pro Nomine, quando autem id fiat ex contextu orationis, nobis manifeſtum fieri oportet: ut Geneſeos cap. iiij. הֲשׁוֹמֵר אָחִי אָנֹכִי id eſt, num cuſtos fratris mei ego? ſubaudi, ſum. eſt nomen. Rurſus Pſalmo cxlvi. הַשּׁוֹמֵר אֱמֶת לְעוֹלָם id eſt, cuſtodiens (ſeu qui cuſtodit) ueritatem in perpetuū: eſt participium præſentis temporis. Et probat Elias in libro Electo, quòd participia habeant uim nominis, inde ſcilicet quod illis, quemadmodum & Nominibus literæ ſeruiles משה וכלב (quæ ferè nominū ſunt propriæ) præponi conſueuerint.

Caput XII.

Participium præteritum הַפָּעוּל

Pluraliter,	Singulariter,	
פְּקוּדִים	פָּקוּד	Masculin.
פְּקוּדוֹת	פְּקוּדָה	Fœmin.

Interpretatio,

Visitatus uir, Visitati uiri,
Visitata mulier, Visitatæ mulieres.

Formatio.

FIguratiuæ participij præteriti eædem sunt cum proximo, nisi quòd in punctis est quædam uariatio.

ה enim per totum tempus est cum schurek, quod in kybuz nonnunquam commutatur. Solet autem uaf hîc inter penultimam & ultimã radicales collocari. Terminatio fœminini singularis est he, ut suprà. Vtraq; pluralis easdem terminationes ים & ות nimirum habent, ut benoni, easq;

ni, easq; in omnibus omnium cõiugationum Participijs reperies. Pehapoal, in singulari masculino kametz habet: quod in reliquis omnibus in scheua uertitur.

Appendix.

IN uerbis quorum lamedpoal est chet uel ain, superadditur in singulari masculino passach, ut מְשֻׁוּחַ uti & in benoni fieri solet: nullam sanè aliam ob causam, quàm ut gutturalium aspiratio magis exaudiatur: uide suprà, cap. v.

Significatio.

PRimò, paul quoq; (ut diximus) nomine benoni appellatur: constat enim ex prȩterito & prȩsenti, ut כָּתוּב scriptus, quod de ea re intelligitur, quæ quũ olim scripta sit, & adhuc hodie duret, siue extet. Atque hoc nomine differt à præterito passiuo huius coniugationis, illo enim utuntur quoties sermo est de re quæ quũ

olim facta ſit, nunc uerò uel exiſtat, uel non exiſtat, ut נִכְתָּב ſcriptus, quod de ea re intelligitur, quæ non amplius extat. Quemadmodum poſſumus dicere de libris Salomonis, quos ſcriptis de Naturali hiſtoria, ut habes 1. Reg. iiij. Illi inquam נִכְתְּבוּ hoc eſt, ſcripti fuêre: non tamen modò extant. De tribus uerò libris, Canticorum, Eccleſiaſticis & Prouerbiorum, dicemus כְּתוּבִים ſcripti: & ita quidem ſcripti, ut etiamnum hodie ſuperſtites ſint.

SEcundò, paul ſicut & benoni, affinitatem quãdam habet cum Nominibus, ut in his עָצוּם robuſtus, & בָּרוּךְ benedictus: quæ nomina potius ſunt uerbalia ſeu formalia, quàm participia: ita enim in ſacris literis uſurpantur.

Appendix.

NOmina formalia, quæ Latini Adie-

ctiua

ctiua uocãt, tam pro præſenti, quàm pro præterito participio in ijs uerbis, quæ ſtantia apud Hebręos, id eſt, abſoluta uocantur, poni conſueuerunt: unde talis regula datur,

Omnia uerba neutra, unde formalia nomina deſcendunt, in illis nec benoni, nec paul reperitur: ſed ipſum nomen formale, loco utriuſque ponitur: ut à uerbo זָקֵן ſenuit, deducitur nomen formale זָקֵן ſenex: quod & participij præſentis & participij loco ponitur: non enim ab illo uerbo dicimus זוֹקֵן nec etiam זָקוּן

Verba uerò neutra, quæ nullum uerbale nomen à ſe formant, ea habent benoni loco utriuſq; participij, ut à יָשַׁב dicimus יוֹשֵׁב ſedens, ſed non יָשׁוּב

Sunt tamen in ſcriptis Rabbinorum quædam neutra, quæ & paul & benoni habent eiuſdem ſignificationis: ut רוֹכֵב

& רָכוּב equitans. ſed hoc rariſſimum eſt.

Alia.

QVod & benonijm & paulim natu-ram Nominum habeant, ſatis inde apparet, quòd literas משה וכלב quæ nominum ferè propriæ ſunt, admittant.

Caput XIII.

INfinitiuus, הַמָּקוֹר

Cum literis bachlam פְּקוֹר abſolutus, quæ gerundiua faciunt.

כִּפְקוֹר	בִּפְקוֹר
מִפְּקוֹר	לִפְקוֹר

Expoſitio,

Viſitare. In uiſitando, Secundum uiſitandum. Ad uiſitandum. A uiſitando.

Formatio.

FIguratiuæ literæ infinitiui ſunt בכלם quæ

quæ uel ante ultimam, uel ante primam radicalem ponuntur.

וֹ enim cum holem, per totum infinitiuum inter secundam & tertiam radicales collocatur. Reliquæ quatuor radici præponuntur.

Punctatur uerò pepoal infinitiui absoluti cum kametz. Ainhapoal ubique holem habet, ut dictum est. Cum literis uerò בְּכְלַמ pepoal kametz in scheua commutat. Proinde punctatio trium priorum ex iam prædictis literis, genuina est scheua: quod tamen in hac coniugatione in hireck uertitur, ne scilicet duo ab initio concurrant scheuain.

Quum uerò prima radicalis litera fuerit gutturalis, habueritq; uel chateph passach, uel chateph segol, uel chateph kametz: tunc istæ tres literæ habebunt uel passach, uel segol, uel kametz: iuxta illam

regulam, Gutturalis punctat ſe & præ-cedentem.

Litera Mem, quarta ſcilicet figurati-uarum infinitiui, propter defectum nun (eſt enim prępoſitio מִן id eſt, ab) dages ſequenti literę imprimit, quę ſi punctuli dages non fuerit capax, tunc dages literę imponendum cum hireck ſub mem con-iungitur: & ita pro puncto breui ſequen te dages, longum ſubſtituitur, quæ duo ęquipollent, ut מִפְּקוֹר מֵעֲבוֹר

Appendix.

SI tertia radicalis litera fuerit guttura-lis, tunc ultra holem poſt ainhapoal etiam paſſach ſub gutturalem ponitur, uti ſuprà in duobus proximis tempori-bus factum uidimus, ut Num. x. בִּנְסוֹעַ

Alia.

PRimò, cum literis bachlam infinitiui extrito uaf holem, cum paſſach quan doq;

doq; punctantur: ut primi Regũ primo, כְּשְׁכַּב חֲמֻלָה

Secundò, quandoq; cum he paragogico & chatephkametz ſub pepoal: ut Exodi cap. xxxvi. לְקָרְבָה

Tertiò, aliquando & cum mem ſuperaddito ad ipſum lamed, ut לְמִקְרָא pro לִקְרָא

Quartò, interim etiam cum thaf paragogico reperitur, ut Geneſos capite viij. עַד יְבוֹשֶׁת הַמַּיִם

Significatio.

INfinitiuus apud Hebræos, uarijs de cauſis מָקוֹר id eſt, ſcaturigo dicitur, quas author libri Pethah defarai, recitat: cuius hæc ſunt uerba, וְנִקְרָא מָקוֹר לְפִי שֶׁהוּא תְּחִלַּת הַדִּבּוּר וְשֹׁרֶשׁ הֶגְיוֹן׃ id eſt, Et appellatur makor, eo quòd ſit principium ſermonis, & radix cogitationis.

Vt ædificare domum, prius in mente eſt,

quàm fiat ædificatio ipſa.

כִּי זֶה הַמָּקוֹר שֹׁרֶשׁ לְכָל הַפְּעֻלּוֹת׃ hoc eſt, quia makor eſt radix omnium temporũ, ſeu operationum. hoc eſt, pro omnibus temporibus uſurpatur: ut in ſequẽtibus exemplis patebit.

Nume. cap. x. וַיְהִי בִּנְסֹעַ הָאָרֹן expo- nitur per præteritum, Fuitq́ quum pro- fecta eſt arca.

Ioſue cap. vi. וְהַמְאַסֵּף הוֹלֵךְ אַחַר הָאָרוֹן הָלוֹךְ וְתָקוֹעַ exponitur per benoni, Et no- uiſſima turma ingrediebatur poſt arcam incedens & clangens.

Deuteron. cap. ij. עַד תֹּם כָּל הַדּוֹר ex- ponitur per paul, Donec conſummata eſt tota generatio.

Deuteron. cap. v. שָׁמוֹר אֶת־יוֹם הַשַּׁבָּת exponitur per imperatiuum, Cuſtodi di- em ſabbati: & cætera.

Poſtremò, dicitur etiam makor, quod

ſcilicet indifferēter omnibus generibus, perſonis & numeris tribuatur. Sicut & in Latina lingua infinitiuus appellatur, quòd nec perſonas, nec numeros finitos habeat, ſed ſine diſcrimine ſingulis attribuatur.

Appendix.

COniungitur infinitiuus aliјs uerbis, idq́; (ut Hebræi dicunt) לְהוֹרוֹת עַל חוֹזֶק הַפְּעֻלָּה id eſt, ad indicandam uehementiam actionis, ut moris eſt huic linguę etiam alias geminatis uocibus, rei uehementiam demonſtrare: ut Exo. cap. iij. Dicit Dominus רָאֹה רָאִיתִי אֶת־עֳנִי עַמִּי id eſt, uidendo uidi afflictionem populi mei. hoc eſt, Certiſſimò uidi ac cognoui miſeriam populi mei, atque ita quidem uidi, ut liberaturus quoq; illum ſim.

Alia.

INfinitiuus raro ſine literis bachlam uenit

nit, niſi quum coniunctus eſt cum alio uerbo, quod uel eiuſdem eſt thematis, uel alterius: & cætera.

Alia.

INfinitiuus abſolutus (hoc eſt, qui ſine literis bachlam eſt) plerunque uerbis præponitur, pauciſſimis exceptis. Cum imperatiuo uerò ſemper poſtponitur, ut שִׁמְעוּ שָׁמוֹעַ id eſt, audite audiendo.

Atque hinc etiam autor proximè citatus, probat Infinitiuum eſſe Makor dictum, quòd ſcilicet Verbis tam præponi quàm poſtponi poſſit.

Alia.

INfinitiuus nullam literam frequentiùs habet, quàm lamed: ideoq; quoties abſolutè cum Verbis coniungitur, tunc ut plurimùm ita eſt exponendus, ac ſi cum lamed eſſet: ut Geneſeos cap. xxi. חִסְכַּלְתָּ עֲשׂוֹ pro לַעֲשׂוֹת

Alia.

TAmetsi infinitiuus non habeat certum tempus, tamen quoad literas bachlam sibi adhærentes, aliquam temporis notationem exprimit: nam cum beth & kaph, ferè præteritum significat: cum lamed & mem, futuri uim habere, in Biblijs sæpe apparet.



Caput XIIII.

IMperatiuus. חֲצִווּי

Pluraliter,	Singulariter,	
פִּקְדוּ	פְּקוֹד	Masculin.
פְּקוֹדְנָה	פִּקְדִי	Fœminin.

Expositio,

Visita tu uir, Visitate uos uiri,
Visita tu mulier, Visitate uos mulieres.

Formatio.

FIguratiuæ literæ imperatiui sunt quatuor

tuor יונה quæ uel ſingulæ uel binæ radici apponuntur.

ו enim cum holem, ſingularis maſculini perſonam facit: atque ita nihil differt ab infinitiuo, nudato literis bachlam.

י uero præcedente hireck, fœmininam ſingularis dat.

ו cum ſchureck, pluralem maſculini format.

Syllaba נָה in finem adiecta ſingularis maſculinæ perſonæ, fœmininã pluralem conſtituit.

PEpoal, in ſingulari maſculino & plurali fœminino ſcheua habet, niſi ſit gutturalis, tunc enim habebit compoſitum punctum אֱבוֹל In ainpoal, uaf holem. Sed in fœminino ſingulari & maſculino plurali, quum propter acceſſionem iod & uaf, holem in ſcheua mutetur: (niſi ſit gutturalis, tunc enim cõpoſitum

punctum

punctum erit, ut שַׁאֲלִי שַׁחֲרִי) interim tamen duo ſcheua ab initio concurrere nec poſſint, nec debeant: ideo prius ſcheua in hireck eſt cõmutatum, & dicimus פִּקְדִי פִּקְדִי

Appendix.

IMperatiuus in quibuſdam uerbis loco holem paſſach admittit, prǽſertim uerò in ijs, quorum lamedpoal uel cheth uel ain fuerit. Dicimus enim, שְׁלַח שְׁמַע & in alijs quoq; quibuſdam, ut שְׁכַב

Alia.

HE quoq; paragogicum ad maſculinum ſingularem non raro adijcitur, & tum pepoal uel hirick uel chatephkametz habebit. Dicimus enim שִׁלְחָה זִכְרָה

Alia.

FOeminina ſingularis in paucisſimis quibuſdam, loco hirick habet chatephkametz; ut Iudic. cap. ix. מָלְכִי עָלֵינוּ

Alia

Alia.

NVllam perſonam præter ſecundam agnoſcunt imperatiui apud Hebræos: reliquas per futurum circumloquuntur: ut ij. Samuel. cap. xiij. יֵלֶךְ-נָא הַמֶּלֶךְ וַעֲבָדָיו עִם עַבְדֶּךָ hoc eſt, Eat, quæſo, rex & ſerui eius cum ſeruo tuo.

Significatio.

PRimò, imperatiuo rariſſimè utimur, præſertim in præceptis: in affirmatiuis aliquando, ut כַּבֵּד אֶת-אָבִיךָ In negatiuis nunquam, nam non poteſt uenire poſt particulas negandi, ſed ſemper loco eius futuro utimur, ut Exo. xx. לֹא תִגְנֹב

Secundò, imperatiuo utimur in deprecationibus, præſertim uerò in precibus ad Deum, ut Pſal. xvij. קוּמָה יְהוָה קַדְּמָה פָּנָיו הַכְרִיעֵהוּ פַּלְּטָה נַפְשִׁי מֵרָשָׁע חַרְבֶּךָ׃ Quandoq; non additur illi etiam particula נָא uel אָנָּא ut habes Pſal. cxviij. ubi

dicit

dicit, אָנָּא הוֹשִׁיעָה נָּא

Tertiò, imperatiuũ usurpamus quando uel ridentes per ironiam aliquid iubemus, quod facere non potest: uel iubentes id quod fieri non uelimus, sed ad id promptum ac propensum eum uidemus quem ita deridemus: quam figuram Hebræi uocant, דֶּרֶךְ גִּיזּוּם אוֹ גִּיזּוּמָא de qua uide D. Munsteri Aruch Chaldaicum & commentaria Kimhi in Psal. lx. & Amos iij. Exemplum habes in Amos capite iij.
בֹּאוּ בֵית־אֵל וּפִשְׁעוּ הַגִּלְגָּל הַרְבּוּ לִפְשֹׁעַ׃
id est, Venite in Bethel, transgredimini in Galgal, & multiplicate transgressionem. Sic Germanicè dicimus, Hallt dich nun vngeschickt gnůg. non quòd hoc uelimus, sed quasi innuere uelimus, talem, si pergat, tandem pœnas daturum: & cætera.

Caput XV.

FVturum, עָתִיד

Personæ

	Tertia,	Secunda,		Prima,		
Maſ.	יִפְקוֹד	תִּפְקוֹד	C.	אֶפְקוֹד	S.	Numeri,
Fœ.	תִּפְקוֹד	תִּפְקְדִי				
M.	יִפְקְדוּ	תִּפְקְדוּ		נִפְקוֹד	P.	
F.	תִּפְקוֹדְנָה	תִּפְקוֹדְנָה				

Verſio,

Ego uiſitabo, communis generis. Tu uiſitabis uir. Ille uiſitabit uir. Tu uiſitabis mulier, Illa uiſitabit mulier.
Nos uiſitabimus, commu. generis. Vos uiſitabitis uiri. Illi uiſitabunt uiri.
Vos uiſitabitis mulieres, Illæ uiſitabunt mulieres.

Formatio.

PRimò, futurũ ab imperatiuo deſcendit, præpoſitis illi quatuor literis figuratiuis

ratiuis, ſcilicet איתן Vnde autor libri Pe thah deſarai, inquit, הַאֵיתָן הוֹלֵךְ אַחַר הַצִּוּוּי id eſt, futurum ſequitur imperatiuum.

SEcundò, præter dictas iam literas ac- cedunt futuro aliæ duæ: nempe

ו cum holem, ante ultimam radicalem in ſingulari maſculino, & plurali commu nis & fœminini generis.

ה uerò cum ſchureck in plurali addi- catur נָה ſyllaba, ſicut & in imperatiuo plurales fœmininas perſonas conſtituit.

TErtiò, literæ porrò אֵיתָן ita faciunt diſcrimen inter perſonas quæ in hoc tempore, more Latino collocãtur, quum id in præterito ſecus fiat, ut

א prima perſona ſingularis numeri.

ת omnes perſonas ſecundas utriuſque generis & numeri faciat.

י uerò tertiarum perſonarũ ſit index.

נ primam pluralem conſtituat.

Punctanturq́ꝫ omnes cum hirick, exce-pto aleph, quæ quia gutturalis eſt litera, & conſortium hirick refugiat, in locum il-lius ſægol accerſiuit.

Appendix.

QVum pepoal fuerit una ex guttura-libus, tum ethan tale ſimplex pun-ctum habebunt, quale compoſitum gut-turalis habuerit: ut אֶעֱמוֹר תַּעֲמוֹר

Alia.

PRima perſona utriuſque numeri fre-quenter habet he paragogicum, ut אֶעְבְּרָה נִשְׁלְחָה Sicut & ſecunda & tertia pluralis maſculina, nun paragogicum ad mittunt, ut יִלְבְּרוּן תִּשְׁמְרוּן

PEpoal, per totum futurum habet ſche-ua quieſcens. Ainhapoal in ſingulari, uel in holem, uel in paſſach deſinit.

Imò inueniuntur uerba, quæ utranq́ꝫ habent terminationem, ut וַיִּשְׁבּוֹת תִּפַּן

Ioſue cap.v. Et לָמָּה תִשְׁבַּת הַמְּלָאכָה Nehemiæ cap.vi.

Notandum eſt autem, poſteriorem terminationem eſſe ferè eorum uerborum, quorum ainpoal, uel lamedpoal, una ex gutturalibus eſt, cheth ſcilicet, uel ain: ut יִשְׁלַח יִלְעַג יִשְׁמַע &c.

Quanquam & alia inueniantur, quæ perpetuò paſſach habent, & non holem: ut Deuter. cap.xxxij. וַיִּשְׁמַן יְשֻׁרוּן וַיִּבְעָט.

Tradunt quoq; Hebræorum grammatici hoc eſſe diſcrimen inter uerba quę in futuro in holem deſinunt, & ea quæ paſſach habent: ut illa ſit Tranſitiuorum, hæc uerò Stantium ut plurimùm.

Exceptis tamen ab hac regula, ijs uerbis quæ poſteriores literas gutturales habent: ea enim ſiue tranſitiua, ſiue neutra ſint, ſemper habent paſſach, quemadmodum diximus.

POstremò, ainpoal in plurali in omnibus personis, scheua habet mobile, (exceptis duabus fœmininis, & prima communis, quæ holem habent) quod in holem uel zere mutatur in pausa, propter accentum: ut Esaiæ cap. v. שכר ירדפו Et Esaiæ capite primo, טוב הארץ תאכלו

Appendix.

PErsona secunda masculini singularis non differt à tertia fœminini singularis: utraque ex præpositis partibus orationis est cognoscenda. Secunda persona singularis fœminini, per iod in fine additum à masculino dignoscitur.

Significatio.

PRimò, futurum absolutè positum, in multis locis pro præterito ponitur, præsertim quum de ijs rebus sermo est, quæ frequenter ita fieri consueuerunt, ut Genes. cap. ij. ואד יעלה id est, & uapor

ascen

aſcendit. Eſt autem hæc enallage in Pro-uerbijs, Pſalterio, & alijs Propheticis libris uſitatiſſima.

SEcundò, futurum per uaf hippuch in præteritum, idq; plerunque imperfectum conuertitur, paucis exceptis: in quibus in perfectum, propter aliud præcedens, conuerſum uidemus: ut Gene. xxx. כִּי מְעַט אֲשֶׁר הָיָה לְךָ לְפָנַי וַיִּפְרוֹץ לָרוֹב וַיְבָרֶה יְהוָה אֹתִי׃ id eſt, quoniam parum quod fuit tibi, ante me multiplicatum eſt, & benedixit Dominus mihi.

Punctatio autem illius uaf, plerunque eſt paſſach, ſequēte dages: excepto aleph, ante quod uaf habet kametz, quum dages à gutturali non accipiatur. Et exceptis quibuſdam locis, ubi dages euphoniæ cauſa repudiatur, ut in proximè citato exemplo uidere eſt.

TErtiò, futurum quoquè per particu-

Iam אָז præpoſitam, in præteritum conuertitur, ut אָז יָשִׁיר מֹשֶׁה id eſt, tunc cecinit Moſes.

Caput XVI.

PAradigma paſſiuæ coniugationis primæ Kal.

Præteritum, הֶעָבָר

Persona		Fem.		Masc./Comm.		Numerus
3	Perſonæ	נִפְקְדַת	F.	נִפְקַד	M.	Sin.
2		נִפְקַדְתְּ		נִפְקַדְתָּ		
1				נִפְקַדְתִּי	C.	
3				נִפְקְדוּ	C.	Plu.
2		נִפְקַדְתֶּן	F.	נִפְקַדְתֶּם	M.	
1				נִפְקַדְנוּ	C.	

Interpretatio,

Viſitatus fuit uir, Viſitata fuit mulier.
Viſitatus fuiſti uir, Viſitata fuiſti mulier.
Viſitatus fui, communis generis.
Viſitati fuerunt, communis generis.

Viſita

Viſitati fuiſtis uiri, Viſitatæ fuiſtis mulieres. Viſitati fuimus, communis generis.

Formatio.

IN hac & reliquis coniugationibus formationes tantùm temporum proſequemur: nam quod ad ſignificationes illorum attinet, ſatis ſuprà declarauimus. Suntq; ad omnia omnium Coniugationum tempora referenda, quæ in prima coniugatione de ſignificationibus temporum diximus.

FIguratiua litera huius Coniugationis paſſiuæ, eſt litera nun, cum hireck.

Præteritum uerò habet eaſdem terminationes & punctationes, quas actiuum præteritum: niſi quòd propter acceſſionem nun pepoal, ſuum kametz in ſcheua quieſcens mutat.

Ain hapoal, nihil à punctatione actiui differt.

PArticipium præſens, הַבֵּינוֹנִי

Pluraliter,	Singulariter,	
נִפְקָדִים	נִפְקָד	} Maſcul.
נִפְקָדוֹת	נִפְקָדָת	} Fœmin.
	uel נִפְקֶדֶת	

Verſio,

Viſitatus uir, Viſitati uiri,
Viſitata mulier, Viſitatæ mulieres.

Formatio.

A Præterito nihil differt, niſi quòd ſub ainpoal habet kametz per totum tempus, quum præteritum habeat paſſach.

Terminatio fœminina ſingularis, & utraque pluralis, eſt eadem quæ in ſuperiori coniugatio.

PArticipium præteritum, הַפָּעוּל Quum ſit tota hæc coniugatio paſſiua, non requirit participium paſſiuum, ideo

ideo paul in hac coniugatione non habetur, ſed loco illius nomina formalia uſurpantur.

INfinitiuus, הַמָּקוֹר

Cum literis bachlam, quæ gerundiua faciunt, הִפָּקֵד Abſolutus

בְּהִפָּקֵד כְּהִפָּקֵד

לְהִפָּקֵד מֵהִפָּקֵד

Interpretatio,

Viſitari.

In uiſitari (id eſt, in eo quum uiſitaretur). Secundum uiſitari.

Ad uiſitare (id eſt, ut uiſitaretur). A uiſitari.

Formatio.

IN infinitiuo litera nun characteriſtica deficit, cuius defectum per dages forte in pepoal ſuppletur.

Quia uerò dages forte ab initio dictionis pro

nis proferri & audiri non potest, nisi præcedat alia motio & litera: ideo Grammatici Hebræorum, literam he cum hirick infinitiuo præposuêre. Illudq́ he cum literis bachlam (quæ scheua habent, excepto mem: quod quia abijcit nun, & in he utpote gutturali, dages signare non potest, zere habet) manet. Exceptis paucissimis locis, ut Thren. cap. iij. Exodi cap. x. Prouerb. xxiiij. ubi abiectum est.

Appendix.

QVum litera prima radicalis fuerit gutturalis, tunc he habebit zere in supplemẽtum ipsius dages, quod in gutturalem poni non poterat.

Alia.

CVm litera mem nunquam abijcitur he: nam si abijceretur, tunc unum dages cogeretur repræsentare duo nun, cõiugationis & dictionis מִן

Sed

Sed regula talis eſt apud Hebræos, אֵין דָּגֵשׁ אֶחָד יָכוֹל לְהָבִיא שְׁנֵי נוּנִים׃ hoc eſt Non dages unum poteſt repræſentare duo nun.

PEpoal autem habet kametz.

Ainpoal zere, aliquando ſægol habet, quum ſcilicet per makaph ſequenti uoci coniungitur, ut Geneſeos cap. xiij. אַחֲרֵי הִפָּרֶד־לוֹט

Quandoq; in holem deſinit, ut habes primi Samuelis cap. xx. נִשְׁאֹל נִשְׁאַל דָּוִד

IMperatiuus, הַצִּוּוּי

Pluraliter,	Singulariter,	
הִפָּקְדוּ	הִפָּקֵד	Maſcul.
הִפָּקַדְנָה	הִפָּקְדִי	Fœmin.

Interpretatio,

Viſitare tu uir, Viſitamini uos uiri.
Viſitare tu mulier, Viſitamini uos mulieres.

Forma

Formatio.

IMperatiuus formam infinitiui ſequitur, niſi quòd in ſingulari fœminino & plurali maſculino, zere in ſcheua ſub ain poal eſt mutatum.

Quod ad terminationem ſingularis fœminini & utranque pluralem attinet, nihil differt ab actiui imperatiui formatione: nam & eandem in omnibus coniugationibus habebit.

FVturum, הֶעָתִיד

Perſonæ

Genera	Tertia,	Secunda,		Prima,	Numeri.
M.	יִפָּקֵד	תִּפָּקֵד	C	אֶפָּקֵד	Si.
F.	תִּפָּקֵד	תִּפָּקְדִי			
M.	יִפָּקְדוּ	תִּפָּקְדוּ	C	נִפָּקֵד	Pl.
F.	תִּפָּקַדְנָה	תִּפָּקַדְנָה			

Verſio,

Viſitabor, communis generis. Viſitaberis tu

ris tu uir. Visitabitur ille uir.

Visitaberis tu mulier. Visitabitur illa mulier.

Visitabimur, communis generis. Visitabimini uos uiri. Visitabuntur uiri.

Visitabimini uos mulieres. Visitabuntur illæ mulieres.

Formatio.

IN futuro abijcitur he illud quod in imperatiuo & infinitiuo ad fortificādum dages (quod repræsentat nun literam figuratiuam huius coniugationis, quæ abiecta est) accersebatur. Quum enim hîc literæ ethan sint, non est illa opus.

Punctantur autem figuratiuæ illæ futuri omnes cum hirick, excepto aleph, quod sægol, nullam aliam ob causam, quàm (ut inquiunt Hebræi) להפריש הקריאה בין האלף ובין היוד hoc est, ad separandum lectionem ipsius aleph à iod,

uult

uult dicere, ne aleph uideatur iod esse: habet nihilominus alicubi hirick, ut ij. Samuelis cap. vi. אֲבַבְרֵה

PEpoal, semper habet kametz, & est dagessatum, propter defectum nun niphal. Si uerò fuerit gutturalis, tunc literæ ethan zere habent, ut Geneseos capite xiiij. וַיֵּחָלֵק

Ainpoal, in personis singularibus, excepta secunda fœminina, & pluralibus fœmininis zere habet, ut in imperatiuo: quod in reliquis personis in scheua conuertitur.

¶ Coniugationis kal passiuæ, finis.

Capnt

Caput XVII.

Paradigma secundæ coniugationis actiuæ piel.

Præteritum, הֶעָבָר

Personæ	F.		M./C.		Numeri
3	פִּקְּדָה	F.	פִּקֵּד	M.	Si.
2	פִּקַּדְתְּ	F.	פִּקַּדְתָּ	M.	Si.
1			פִּקַּדְתִּי	C.	Si.
3			פִּקְּדוּ	C.	Pl.
2	פִּקַּדְתֶּן	F.	פִּקַּדְתֶּם	M.	Pl.
1			פִּקַּדְנוּ	C.	Pl.

Expoſitio,

Diligenter uiſitauit uir. Viſitauit mulier.
Viſitauiſti uir. Viſitauiſti mulier.
Viſitaui diligenter, communis generis.
Viſitauerunt, commune.
Viſitauiſtis uiri. Viſitauiſtis mulieres.
Viſitauimus, communis generis.

Formatio.

DAges in ainpoal per totam coniuga

 tionem

tionem eſt characteriſticum. Pepoal per totum tempus cum hirick pũctatur. Ain poal, ſub tertia maſculini ſingularis, zere habet (quanquam in quibuſdam & paſſach, ut Thren. cap. iij. אִבַּר וְשִׁבַּר) In tertia fœminini ſingularis, & tertia plurali communis generis, ſcheua mobile. In reliquis omnibus paſſack, ſicut & in prima coniugatione.

PArticipium præſens, הַבֵּינוֹנִי

Pluraliter,	Singulariter,	
מְפַקְּדִים	מְפַקֵּד	Maſcul.
	מְפַקֶּדֶת	Fœmin.
מְפַקְּדוֹת uel	מְפַקֶּדֶת	

Interpretatio,

Diligenter uiſitans uir. Viſitantes uiri.
Viſitans mulier. Viſitantes mulieres.

Formatio.

FIguratiua litera participiorũ tam præ-

ſentium

ſentium quàm præteritorum, in hac & ſequentibus coniugationibus eſt mem, diuerſa punctatione.

In hac ſecunda actiua coniugatione, in benoni mem ſcheua habet pehapoal paſſach. Ainpoal, in maſculino ſingulari zere, & in altera terminatione fœmininorū ſægol: in reliquis, ſcheua mobile.

PArticipium præteritum, חֻפְּעַל

Pluraliter,	Singulariter,	
מְפֻקָּדִים	מְפֻקָּד	Maſcul.
	מְפֻקֶּדֶת	Fœmin.
מְפֻקָּדוֹת uel	מְפֻקֶּדֶת	

Verſio,

Viſitatus uir. Viſitati uiri.
Viſitata mulier. Viſitatæ mulieres.

Formatio.

IN paul, ſimiliter mem cum ſcheua. Pehapoal cum kybutz. Ainpoal, in ka-

metz per totum tempus deſinit.

INfinitiuus, הַמָּקוֹר

Cum literis bachlam, quæ gerundiua faciunt, פַּקֵּר Abſolutus

בְּפַקֵּר כְּפַקֵּר

לְפַקֵּר מִפַּקֵּר

Verſio,

Viſitare diligenter.

In uiſitando. Secundum uiſitare.

Ad uiſitandum. A uiſitando.

Formatio.

PEpoal, paſſach habet ad differentiam præteriti. Ainpoal, zere. Literæ bachlam cum ſcheua, excepta mem, quæ hireck (ſequente dages, propter defectum nun, pro more ſuo) habet.

IMperatiuus, הַצִּוּוּי

פַּקֵּר פַּקְּרוּ

פַּקְּרִי פַּקֵּרְנָת

Verſio

Verſio,

Viſita tu uir, Viſitate uos uiri.
Viſita tu mulier. Viſitate uos mulieres.

Formatio.

IN ſingulari pepoal, paſſach. Ainpoal zere habet, quod in reliquis omnibus, excepta plurali fœminina, in ſcheua conuertitur.

FVturum, חֶעָתִיד

Genera	Tertia,	Secunda,		Prima,	Numeri
M.	יְפַקֵּד	תְּפַקֵּד	C.	אֲפַקֵּד	
F.	תְּפַקֵּד	תְּפַקְּדִי			
M.	יְפַקְּדוּ	תְּפַקְּדוּ		נְפַקֵּד	
F.	תְּפַקֵּדְנָה	תְּפַקֵּדְנָה			

Verſio,

Diligenter uiſitabo, communis generis. Viſitabis uir. Viſitabit uir.
Viſitabis mulier. Viſitabit mulier.
Viſitabimus, communis generis. Viſi

tabitis uiri. Viſitabunt uiri.

Viſitabitis mulieres. Viſitabunt mulieres.

Formatio.

IN futuro huius coniugationis literæ ethan, habent ſcheua, excepto aleph gutturali: quod quia pro more gutturalium, purum ſcheua non admittit, cum chatephpaſſach punctatur. Pepoal, per totum habet paſſach. Ainpoal, prima, ſecunda, tertia ſingularis maſculini, & prima pluralis communis generis, utraque fœminina pluralis habent zere. In alijs, ſcheua: quod in pauſa quoquè, in ſcheua conuertitur.

Appendix.

FVturum primæ perſonæ utriuſq; numeri, he thoſephet uel paragogicum admittit, ut אֲדַבְּרָה

Alia

Alia.

VErba quorum ainpoal fuerit gutturalis, mutant per totam hanc coniugationem hireck in zere, paſſach in kametz, kybutz in uaf holem: ut,

בֵּרֵךְ מְבָרֵךְ מְבוֹרָךְ אֲבָרֵךְ

Quanquam multa ſint, quæ tametſi mediam radicalem ex gutturalibus habeant, ſeruant nihilominus conſuetam punctationem huius cõiugationis, niſi quòd dages abijciunt.

¶ Coniugationis Secundæ actiuæ, finis.

Caput XVIII.

Paradigma ſecundæ coniugationis, paſſiuæ pual.

Præteritum, הֶעָבָר

Personæ					Numeri
3	פֻּקְּדָה	F.	פֻּקַּד	M.	Si.
2	פֻּקַּדְתְּ	F.	פֻּקַּדְתָּ	M.	Si.
1			פֻּקַּדְתִּי	C.	Si.
3			פֻּקְּדוּ	C.	Pl.
2	פֻּקַּדְתֶּן	F.	פֻּקַּדְתֶּם	M.	Pl.
1			פֻּקַּדְנוּ	C.	Pl.

Verſio,

Diligenter uiſitatus fuit uir. Viſitata fuit mulier.

Viſitatus fuiſti uir. Viſitata fuiſti mulier.

Viſitatus fui, communis generis.

Viſitati fuerunt, communis generis.

Viſitati fuiſtis uiri. Viſitatæ fuiſtis mulieres.

Viſitati fuimus, communis generis.

Forma

Formatio.

IN hac Secunda paſſiua coniugatione ſimiliter dageſch in ainpoal characteriſticum eſt.

Pehapoal, per totam coniugationem habet uel kybutz uel chatephkametz.

Quum uerò ainpoal punctuli dageſch non fuerit capax, tunc kybutz in uaſ holem conuertitur.

Porrò quoad punctationem ainpoal, habet is paſſach in tertia ſingularis maſculini: in reliquis, ſequitur actiuum ſuum.

PArticipium præſens, חֲבֵינוֹנִי

Pluraliter,	Singulariter,	
פְּקֻדִים	פְּקֻד	M.
	פְּקֻדָה	F.
פְּקֻדוֹת uel	פְּקֶדֶת	

Verſio,

Viſitatus uir. Viſitati uiri.

 Viſitata

Visitata mulier. Visitatæ mulieres.

Formatio.

NOn differt ab ipso præterito, nisi quòd sub ainpoal per totum tempus habet kametz.

PAul non habet hæc coniugatio, & Imperatiuo caret.

INfinitiuus, הַמָּקוֹר

Visitari, פֻּקּוֹד Absolutus.

Cum literis bachlam non extat. Absolutè positus, holem post ainpoal habet.

FVturum, הֶעָתִיד

Personæ,

Genera	Tertia	Secunda	Prima	Numeri
M.	יְפֻקַּד	תְּפֻקַּד	C. אֲפֻקַּד S.	Singularis
F.	תְּפֻקַּד	תְּפֻקְּדִי		
M.	יְפֻקְּדוּ	תְּפֻקְּדוּ	C. נְפֻקַּד P.	Pluralis
F.	תְּפֻקַּדְנָה	תְּפֻקַּדְנָה		

Versio

Versio,

Visitabor, communis generis. Visitaberis uir. Visitabitur uir.

Visitaberis mulier. Visitabitur mulier.

Visitabimur, communis generis. Visitabimini uiri. Visitabuntur uiri.

Visitabimini mulieres. Visitabuntur mulieres.

Formatio.

Nihil differt punctatione ab actiuo suo, tam quoad literas ethan, quàm quoad radicales: nisi quòd hîc sub pepoal est kybutz, & ain hapoal in singulari numero habet passach, quum in actiuo zere sit.

Finis Coniugationis secundæ passiuæ pual.

Caput XIX.

PAradigma tertiæ coniugationis actiuæ hiphil.

Præteritum, הֶעָבָר

Personæ	Fœmininum		Masculinum / Commune		Numeri
3	הִפְקִידָה	F.	הִפְקִיד	M.	S.
2	הִפְקַדְתְּ	F.	הִפְקַדְתָּ	M.	S.
1			הִפְקַדְתִּי	C.	S.
3			הִפְקִידוּ	C.	P.
2	הִפְקַדְתֶּן		הִפְקַדְתֶּם	M.	P.
1			הִפְקַדְנוּ	C.	P.

Verſio,

Fecit uiſitare uir. Fecit uiſitare mulier.

Feciſti uiſitare uir. Feciſti uiſitare mulier.

Feciſti uiſitare, communis generis.

Fecerunt uiſitare, communis generis.

Feciſtis uiſitare uiri. Feciſtis uiſitare mulieres.

Fecimus uiſitare, communis generis.

Formatio

Formatio.

SVb he, characteristica huius coniugationis litera, habet hirick paruum: nisi prima radicalis litera fuerit gutturalis: tunc enim he habebit sægol gutturalis charephsægol: ut, הֶעֱבִיר

Pepoal, scheua habet quiescens.

Ainpoal, in tertia persona singularis numeri utriusq; generis: & in tertia persona plurali, hireck magnum habet, sequente scilicet iod, figuratiua litera huius coniugationis. In reliquis omnibus personis, habet passach.

PArticipium præsens, חֲבֵינוֹנִי

Pluraliter,	Singulariter,	
מַפְקִירִים	מַפְקִיר	Masculin.
	מַפְקִירָה	
מַפְקִירוֹת uel	מַפְקֶרֶת	Fœminin.

Versio

Verſio,

Faciens uiſitare uir. Facientes uiſitare uiri.

Faciens uiſitare mulier. Facientes uiſitare mulieres.

Formatio.

MEm litera figuratiua participiorum in hoc benoni habet paſſach, ad denotandum defectum literæ he figuratiuæ huius Tertiæ coniugationis. Dicendum enim erat, מְהַפְקִיד Sed breuitatis gratia, extrita he litera, dicimus מַפְקִיד maphkid.

Ainpoal, per totum habet hirick magnum, ſequente iod litera characteriſtica huius Coniugationis: excepta altera terminatione fœmininorum, quæ habet ſægol; & cætera.

Participium

PArticipium præteritum, הָפְעַל

Pluraliter, Singulariter,

מֻפְקָדִים מֻפְקָד Maſculin.

מֻפְקֶדֶת Fœminin.

מֻפְקָדוֹת uel מֻפְקֶדֶת

Verſio,

Factus uiſitare uir. Facti uiſitare uiri. Facta uiſitare mulier. Factæ uiſitare mulieres.

Formatio.

HE, litera huius coniugationis characteriſtica, hîc extrita eſt, cum eius puncto kybutz: quod ad differentiam præſentis participij habet, ad mem tranſlatum eſt. Dicendum enim erat, מְהֻפְקָד Sed abiecta ipſa litera ה breuiùs dicimus מֻפְקָד muphkad.

Pepoal, habet ſcheua quieſcens.

Ainhapoal, per totum ain, kametz punctatur.

Infinitiuus

INfinitiuus, הַפְּקוֹד

Cum literis bachlam, quæ gerundia faciunt, הַפְקֵד Abſolutus.

בְּהַפְקִיד כְּהַפְקִיד

לְהַפְקִיד מֵהַפְקִיד

Verſio,

Facere uiſitare.

In faciendo uiſitare. Secundum faciendum uiſitare.

Ad faciendum uiſitare. A faciendo uiſitare.

Formatio.

INfinitiuus, he cum paſſach punctat ad diſcrimen præteriti.

Pepoal, ſcheua habet quieſcens.

Ainpoal, habet zere.

Cum literis uerò bachlam, quæ hîc genuinam ſuam habent punctationem, ſemper habet hirick, ſequente iod: ut exempli gratia, Amos cap. ıj. לְהַקְטִין הָאֵיפָה

Impera

IMperatiuus, חַצִּוּוּי

Pluraliter, Singulariter,

חַפְקִידוּ חַפְקֵד Masculin.

חַפְקֵדְנָה חַפְקִידִי Fœminin.

Versio,

Fac uisitare uir. Facite uisitare uiri. Fac uisitare mulier. Facite uisitare mulieres.

Formatio.

IN singulari masculino non differt ab infinitiuo, habet enim zere: ut Numer. cap. viij. חַפְקֵד אֶת־חַלְוִיִּם

Quum uerò illi accedit he paragogicum, tunc habet hireck sequente iod: ut Psal. xvij. חַקְשִׁיבָה רִנָּתִי

In fœminino singulari & masculino plurali habet punctum hirick, sequente iod litera.

In plurali fœminino (quæ forma in Biblijs non extat) habet zere. He coniugationis pattach habet.

i Futurum

FVturum, הֶעָתִיד

Perſonæ,

	Tertia,	Secunda,		Prima,	
M.	יַפְסִיר	תַּפְסִיר	C.	אַפְסִיר S.	Numeri.
F.	תַּפְסִיר	תַּפְסִירִי			
M.	יַפְסִירוּ	תַּפְסִירוּ		נַפְסִיר P.	
F.	תַּפְסֵרְנָה	תַּפְסֵרְנָה			

Verſio,

Faciam uiſitare, communis generis. Facies uiſitare uir. Faciet uiſitare uir.

Facies uiſitare mulier. Faciet uiſitare mulier.

Faciemus uiſitare, communis generis. Facietis uiſitare uiri. Facient uiſitare uiri.

Facietis uiſitare mulieres. Facient uiſitare mulieres.

Formatio.

IN futuro quoquè abijciatur litera he; dicendum enim erat אַהַפְסִיר Sed abiecta

iecta ipſa he litera, breuitatis ergô, ne ab initio ſit concurſus duarum literarum ſeruilium, dicimus אַפְקִיד afkid.

Pehapoal, punctum ſcheua quieſcentem habet.

Ainpoal, punctum hireck habet, iod litera ſequente, quæ eſt figuratiua huius coniugationis: idq; ferè in omnibus iſtis uerbis.

Fœminina tamen utraq; pluralis perſona, habet punctum zere.

Notandum eſt, etiam futurum hoc cum uaf hippuch abijcere iod literam, & punctum zere adſciſcere: quemadmodum habetur Geneſeos primo capite, וַיַּבְדֵּל אֱלֹהִים

Finis coniugationis
tertiæ actiuæ
hiphil.

Caput XX.

PAradigma tertiæ coniugationis paſsiuæ hophal.

Præteritum perfectum, הֶעָבָר

Personæ	Fœm.		Masc./Com.		Numeri
3	חָפְסְרָה	F.	חָפְסַר	M.	S.
2	חָפְסַרְתְּ		חָפְסַרְתָּ		S.
1			חָפְסַרְתִּי	C.	S.
3			חָפְסְרוּ	C.	P.
2	חָפְסַרְתֶּן	F.	חָפְרַסְתֶּם	M.	P.
1			חָפְסַרְנוּ	C.	P.

Verſio,

Factus fuit uiſitare uir. Facta fuit uiſitare mulier.

Factus fuiſti uiſitare uir. Facta fuiſti uiſitare mulier.

Factus fui uiſitare, communis generis.

Facti fuerunt uiſitare, commune.

Facti fuiſtis uiſitare uiri, Factæ fuiſtis uiſitare

uiſitare mulieres.

Facti fuimus uiſitare, commune.

Formatio.

PEr totam hanc cōiugationem he characteriſticum eſt, ſicut in Actiuo: niſi quòd hîc iod deſideratur, & punctatio uariat: nam in hac coniugatione, he habet uel chatephpaſſach, uel kybutz, uel uau ſchurek. Nam hæc tria puncta (ut inquit Elias) כי אלה שלשתם אחים הם ויבאו לרוב זה תמורת זה ובפרט בבנין פועל והפ והפעל id eſt, quoniam tria illa ſunt fratres, & ueniunt frequenter hoc pro illo, præſertim uerò in coniugatione pual & hophal.

Pepoal, habet ſcheua quieſcens.

Ainhapoal, paſſach habet: excepta tertia ſingularis fœmini, & tertia plur. communis generis, quæ ſchæua habent.

BEnoni, paul non extant in hac Coniugatione.

INfinitiuus, הַמָּקוֹר

Fieri ab aliquo uiſitare, הִפָּקֵד

Formatio,

PEpoal, ſcheua habet quieſcens.

Ainpoal, zere uel paſſach obtinet: præſertim in ijs uerbis, quorum tertia radicalis eſt gutturalis.

Inuenitur porrò hîc Infinitiuus, cum he paragogico: cum literis bachlam, nunquam.

IMperatiuo caret.

FVturum, הֶעָתִיד

Genera		Tertia,	Secunda,		Prima,	Numeri
	M.	יִפָּקֵד	תִּפָּקֵד		אֶפָּקֵד	S.
	F.	תִּפָּקֵד	תִּפָּקְדִי	C.		
	M.	יִפָּקְדוּ	תִּפָּקְדוּ		נִפָּקֵד	P.
	F.	תִּפָּקַדְנָה	תִּפָּקַדְנָה			

Verſio

Verſio,

Fiam uiſitare, communis generis. Fies uiſitare uir. Fiet uiſitare uir.

Fies uiſitare mulier. Fiet uiſitare mulier.

Fiemus uiſitare, communis generis. Fietis uiſitare uiri. Fient uiſitare uiri.

Fietis uiſitare mulieres. Fient uiſitare mulieres.

Formatio.

FVturi figuratiuæ literæ, abiecto he characteriſtico Coniugationis, recipiunt chatephkametz, לְהוֹרוֹת עַל סִימָן חֲבָנִין id eſt, ad innuendum characteriſticum ſignum coniugationis.

Pepoal, habet ſcheua quieſcens.

Ainhapoal (excepta tertia fœminini ſingularis, & tertia communis pluralis, quæ ſcheua mobile habent) cum paſſach punctatur per totum.

Appendix.

QVum pepoal fuerit gutturalis, tunc literæ ethan, & he, in præterito habebunt kametz, & prima radicalis chatephkametz, ut חֳעֳמוֹר אֳעֳמוֹר

Alia.

MOſche Kimhi in ſuo mahalach, format participium præſens, ſic,

חֵפָּסַר חֵפָּקְרִים הֵפָּקְרָת חֵפָּקְרוֹת

Cum kametz ſub ainpoal, ad differētiam præteriti. Alij autem Grammatici unanimi conſenſu clamant, non habere hanc cōiugationem ipſum benoni, inter quos autor libri Pethah defarai, ſic ſcribit,

וְאֵין בְּבִנְיָן חַזֶּה לֹא פּוֹעֵל וְלֹא פָּעוּל לְרוֹב הִתְ

חִתְבּוֹרְרוּתוֹ : hoc eſt, non eſt in hac coniugatione neq; participiū præſens, nec præteritum, propterea quòd nimium intranſitiua ſit.

Finis tertiæ coniugationis.

Caput XXI.

PAradigma quartæ coniugationis hithpael.

Præteritum, הֶעָבָר

Personæ					
3	הִתְפַּקְּדָה	F.	הִתְפַּקֵּד	M	Sin.
2	הִתְפַּקַּדְתְּ	F.	הִתְפַּקַּדְתָּ	M	Sin.
1			הִתְפַּקַּדְתִּי	C.	Sin.
3			הִתְפַּקְּדוּ	C.	Plu.
2	הִתְפַּקַּדְתֶּן	F.	הִתְפַּקַּדְתֶּם	M	Plu.
1			הִתְפַּקַּדְנוּ	C.	Plu.

Versio,

Viſitauit ſeipſum uir. Viſitauit ſeipſam mulier.

Viſitauiſti teipſum uir. Viſitauiſti teipſam mulier.

Viſitaui meipſum, cõmunis generis.

Viſitauerunt ſeipſos, commune.

Viſitauiſtis uos ipſos uiri. Viſitauiſtis uos ipſas mulieres.

Viſitauimus nos ipſos, communiter.

Formatio.

CHaracteriſticæ literæ huius Coniugationis quartæ, ſunt הת punctatæ cum hireck ſub he, & ſcheua quieſcente ſub thaf, & dages in ainpoal.

Pepoal, habet in præterito per totum paſſach ſequente dages: exceptis ijs uerbis, quorum media radicalis eſt gutturalium una, uel res, quæ habent kametz: ut הִתְבָּרֵךְ

Ainpoal, habet in tertia ſingularis perſona maſculini zere: aliquando ſægol, מִפְּנֵי הַסְּמִיכוּת id eſt, propter adhærentiã aliarum uocum: ut Geneſ. vi. הִתְהַלֶּךְ נֹחַ

In alijs, per totum habet paſſach, excepta tertia fœminina ſingularis, & tertia pluralis communis generis, quæ habent ſcheua: quod in pauſa, pro more, in kametz aliquando conuertitur.

Participium

PArticipium præſens, חֲבֵינוֹנִי

Pluraliter, Singulariter,

מִתְפַּקְּדִים מִתְפַּקֵּד Maſculin.

מִתְפַּקְּדָה Fœminin.

מִתְפַּקְּדוֹת uel מִתְפַּקֶּדֶת

Verſio,

Viſitans ſeipſum uir. Viſitantes ſeipſos uiri.

Viſitauit ſeipſam mulier. Viſitantes ſeipſas mulieres.

Formatio.

IN hoc tempore, he characteriſtica abijcitur, punctumq; illius ad mem figuratiuam participiorum transfertur, ſequente thaf cum ſcheua quieſcente, & dages in ainhapoal, ut ſuprà.

Pepoal, per totum habet paſſach: exceptis ijs quorum ainpoal eſt gutturalis, illa enim kametz habent, ut ſuprà.

Ainpoal, in ſingulari maſculino zere

habet

habet: quod in reliquis, in ſcheua conuerſum eſt.

PAul, non habet hæc coniugatio.

INfinitiuus, חֲמָקוֹר

Cum litera bachlam, quæ gerundiua faciunt, הִתְפַּקֵּר Abſolutus.

בְּהִתְפַּקֵּר	כְּהִתְפַּקֵּר
לְהִתְפַּקֵּר	מֵהִתְפַּקֵּר

Verſio,

Viſitare ſeipſum, abſolutè.

In uiſitando ſeipſum. Secundum uiſitare ſeipſum.

Ad uiſitandum ſeipſum. A uiſitando ſeipſum.

Formatio.

NOn differt literis & punctis à præterito, quæ & omnia ſeruat accedentibus literis figuratiuis bachlam.

Infinitiuus

IMperatiuus, חִצִּוּוּי

Pluraliter,	Singulariter,	
חִתְפַּקְּרוּ	חִתְפַּקֵּר	Masculin.
חִתְפַּקֵּרְנָה	חִתְפַּסְּרִי	Fœminin.

Versio,

Visita teipsum uir. Visitate uos ipsos uiri.

Visita teipsam mulier. Visitate uos ipsas mulieres.

Formatio.

IN singulari numero masculini generis, non differt ab infinitiuo.

In fœminino genere numeri singularis, & masculino genere pluralis numeri, punctus zere, qui sub reliquis duabus personis situs est, in punctum scheua conuertitur.

Futurum

FVturum, עָתִיד

	Tertia,	Secunda,		Prima,	
M.	יִתְפַּקֵּר	תִּתְפַּקֵּר		אֶתְפַּקֵּר	Sing:
F.	תִּתְפַּקֵּר	תִּתְפַּקְּרִי	C.		
M.	יִתְפַּקְּרוּ	תִּתְפַּקְּרוּ		נִתְפַּקֵּר	Plur.
F.	תִּתְפַּקֵּרְנָה	תִּתְפַּקֵּרְנָה			

Verſio,

Viſitabo meipſum, communis gene. ris. Viſitabit teipſum uir. Viſitabit ſeipſum uir.

Viſitabis teipſam mulier. Viſitabit ſe. ipſam mulier.

Viſitabimus nos ipſos, communis ge neris. Viſitabitis uos ipſos uiri. Viſitabunt ſeipſos uiri.

Viſitabitis uos ipſas mulieres. Viſitabunt ſeipſas mulieres.

Formatio.

IN futuro, he ſimiliter abijcitur, relicto puncto eius hireck, ſcilicet ſub literis

ethan

ethan: excepto aleph, quod pro more ſægol ſuum habet.

Pepoal, cum paſſach per totum punctatur.

Ainpoal, in ſingulari numero & tertia perſona plurali, & utraque fœminina, zere habet: aliquando loco eius paſſach, ut Prouerbiorum capite uigeſimoquinto, אַל תִּתְהַדַּר לִפְנֵי מֶלֶךְ

In ſecunda perſona fœminini ſingularis, & maſculina plurali, utraque illud zere in ſcheuam commutatur.

Regula,

In ſumma, præpone ſyllabam תְּהִ per omnia tempora Paradigmati Secundæ coniugationis actiuæ, & habebis formationem quartæ coniugationis reciprocę.

Appendix.

SYllaba characteriſtica huius coniugationis, ipſi pepoal præponitur in maiori

iori parte uerborum. Verùm in his uerbis, quorum pepoal una eſt ex literis זסשץ alia eſt ineunda ratio. Nam

Quæ habent ſamech uel ſchin, in illis euphoniæ gratia, thaf poſtponitur primæ radicali. Nam pro הִתְסַבֵּל dicimus הִסְתַּבֵּל Et pro הִתְשַׁמֵּר dicimus הִשְׁתַּמֵּר

Quæ uerò à zade incipiunt, ea thaf in thet mutant, ut ita radicali prima poſtponunt. Nam pro הִתְצַדֵּק dicunt הִצְטַדֵּק

Quæq; ſain pro pepoal habent, mutant thaf in daleth, & ſibi poſtponunt: quod genus uerborum in Chaldaiſmo tantùm inuenitur, teſtibus Hebræis; ut à זָמַן dicunt in hithpael הִזְדַּמַּן

Coniugationis quartæ Finis.

HActenus Formationes perfectorum uerborum per omnes Coniugationes, quàm potuimus diligentia breuiter ac dilucidè Studiosis proposuimus. Iam & significationes singularum cōiugationum declarandæ essent: uerùm supersedemus modò ab illa tractatione, tum quia in Tabulis nostris, quas Henrichus Petri anno millesimo quingentesimo quadragesimo sexto Basileæ excudit, Tabula nona ad quam Studiosos remittimus, rem illam exequuti sumus: quum etiam quia sequentibus Libris latiùs omnia exponemus. Ordinum autem imperfectorum formationes, quòd hoc Libro non explicamus, sine ratione minimè à nobis factum est. Non enim placet, tyronum huius linguæ ingenia præceptis nimijs obtuere, qui post generalia ista quæ fideli-

ter tradidimus (ſiquidem ſtudijs ſuis conſultum uelint) ad uſum accedent. Quemadmodum enim hi ridendi meritò ſunt, qui ædificaturi inſtrumentis parandis, & materia copioſa congerenda, rudimentisq; ipſis extruendis ſemper laborant, nunquam tamen ædificant: ita exploden di ſunt illi, qui citra uſum perpetuò præceptis inhærent, in ijsq; ætatem terunt. Adde, qui ſemel ordinis perfecti uerba ritè inflectere didicerit, illum ſine ullo negocio reliquorum ordinum coniugationes percepturum. Proinde ſequentibus libris, illorum formationes ordine & fuſè exponemus. Hoc enim libro inſtituimus tantùm explicationem earū rerum, quas cognoſcere in primis ſtudioſos huius linguæ oportet. Sed pergamus nunc ad alteram partem orationis.

De

DE NOMINE.

Caput XXII.

NOmini accidunt qualitas, species, comparatio (sub qua & motio) genus, numerus, figura, casus (sub quo & declinatio) forma.

Qualitas.

NOminum aliud est שֵׁם דָּבָר hoc est, nomen rei, quod nos appellatiuum dicimus, ut אִישׁ אִשָּׁה גֶּפֶן אֶרֶץ id est, uir, mulier, uitis, terra.

Aliud uocant Hebræi שֵׁם הַתֹּאַר id est, nomen formale, quod nos Adiectiuum dicimus: sub quo Epitheton, & quod appellant Logici concretum, comprehenduntur: ut, מֶלֶךְ טוֹב גָּדוֹל id est, rex, bonus, magnus.

Species.

SPecies nominum eſt duplex. Primitiua, & deriuatiua.

Primitiua ſunt, quæ à nullo uerbo deriuantur: eaq́; rurſus diuiduntur, in nomina ſcilicet, à quibus nulla uel nomina uel uerba deſcendunt, ut אֶרֶץ terra: & ea à quibus nomina & uerba alia, originem trahunt: ut דָּבָר ſermo, inde דִּבֶּר loquutus eſt. חָכָם ſapiens, inde חָכְמָה ſapientia, חָכַם ſapiens fuit: ſecundum Rabbi Moſche, qui exiſtimat Hacam, eſſe primitiuum.

Deriuatiua ſunt, quæ uel à Nominibus, uel à uerbis originem ſuam trahunt. Formantur uerò nomina à uerbis, uel ſola punctorum mutatione, ut à קָבַר ſepeliuit, uenit nomen קֶבֶר ſepulchrum: uel adiectione unius aut duarum literarum, quæ figuratiuæ ſunt uerbalium nominū,

& com-

& comprehenduntur hac uoce וְהֶאֱמַנְתִּי

גָדַל	Venit a radice	גָדוֹל	Magnus.
נָכַר		הַכָּרַת	Cognitio.
שָׂכַר		אֶשְׂכָּר	Munus.
שָׁפַט		מִשְׁפָּט	Iudicium.
קָרַב		קָרְבָּן	Oblatio.
לָמַר		תַּלְמוּר	Doctrina.
צָחַר		יִצְחָר	Oleum.

Vel utroque ſimul, hoc eſt tam mutatione punctationis, quàm acceſſione literarum prædictarum, ut exempla data declarant.

Comparatio.

COmparationis gradus Hebræi non uariatione terminationum, ſed adiectione quarundam particularũ formant.

Comparatiuum enim exprimunt per יוֹתֵר id eſt, plus: & עוֹד id eſt, adhuc: & מִן id eſt, ab, uel præ,

Superlatiuum, per מִכֹּל id eſt, præ

 omnibus

CVm kametz enim, duplici de cauſa punctantur. Primùm quando includunt in ſe He demonſtratiuum, fueritq́ proxima litera gutturalis. Exempla. זובח לאלהים Exodi uigeſimoſecundo capite. & Cantic. cap. v. בחור בארזים

Deinde quando illa gutturalis habuerit hatephkametz, tunc he literæ kametz habebunt: ut primi Samuelis cap. primo, בעני אמתך Quòd ſi uerò illa gutturalis habuerit kametz chatuph (quod eſt uel ſequēte dages, uel ſcheua, ut tradit Elias in Canticis, cantico undecimo) tunc He literæ ſuum genuinum punctum, hoc eſt

ſcheua

ſcheua retinent. Exempla. Eſaiæ capite lxvi. מְתֵי חֹדֶשׁ בְּחָדְשׁוֹ & Eſaiæ capite decimonono, אַדְמַת יְהוּדָה לְמִצְרַיִם לְחָגָּא

Excipe ab hac regula locum Eſaiæ quadrageſimoſeptimo, in qua lamed ſægol habet, מוֹדִיעִים לֶחֳדָשִׁים

CVm paſſach uerò punctantur, primùm quando ante literam gutturalem punctatam cum chatephpaſſach, ut Numer. capite uigeſimoquarto, & Pſalmo primo, uerſu primo, כָּרַע שָׁכַב כַּאֲרִי; בַּעֲצַת רְשָׁעִים

Deinde uerò ante duo nomina diuina quieſcentia primis literis, iſtæ literæ cum paſſach punctantur. Exempla. Geneſeos trigeſimoſecundo, לַאדֹנִי לְעֵשָׂו & Numer. capite decimoquarto, אַךְ בַּיהוָה אַל תִּמְרֹדוּ & Hieremiæ capite decimo, וַאדֹנָי אֱלֹהִים אֱמֶת

Poſtremò recipiunt paſſach, quando he de-

he demõſtratiuum incluſum habent: de qua re, uide quæ in Appendice capitis quinti diximus.

CVm zere punctantur ante nomen Dei Elòhím, & ante infinitiuum uerbi amar, propter frequentem eius uſum. Exempla. Pſalmo tertio, אֵמְרוּ לֵאלֹהִים אֵין יְשׁוּעָתָה לּוֹ בֵּאלֹהִים סֶלָה & Exodí capite uigeſimo, וַיְדַבֵּר אֱלֹהִים אֵת־כָּל הַדְּבָרִים הָאֵלֶּה לֵאמֹר

CVm ſægol punctantur, quando proximè ſequẽs litera gutturalis, & cum chatephſægol punctata fuerit. Exemplũ. Eſaiæ capite quinto, לָבֵן כֶּאֱכֹל קַשׁ

CVm hireck punctantur duplici de cauſa, primùm quãdo ad dictionem accedunt, cuius prima litera ſit ſcheuata, ibi ne duo concurrant ab initio ſcheuaim alterum in hireck commutari ſolet, nimirum quod eſt ſub litera ſeruili. Exempla.

1. Samu

1 Samuel.iij. לִפְנֵי עֵלִי ibidem וְעֵלִי שֹׁכֵב בִּמְקוֹמוֹ & ibidem uigeſimotertio capite, הִנֵּה פְלִשְׁתִּים נִלְחָמִים בִּקְעִילָה

Deinde uerò quando accedunt ad dictionem cuius prima litera fuerit iod, & ſcheua habuerit, tunc utrunque ſcheua tam ipſius iod, quàm literæ ſeruilis abijciunt, & eandem cum hireck punctant: ut Nehemiæ decimotertio, בִּיהוּדָה רָאִיתִי

Appendix.

MEm quoquè ſeruilis litera accedens ad dictionem habẽtem à capite iod ſcheuatum, illud ſcheua abijcit, & ſe cum hireck ſine dages ſequente punctat, exceptis duobus tantùm locis, ubi ſcheua retinetur, & iod dageſſatur.

Exempla. Geneſeos capite quadrageſimo nono, מִידֵי אֲבִיר יַעֲקֹב & Danielis capite duodecimo, וְרַבִּים מִיְּשֵׁנֵי אַדְמַת עָפָר & 2 Paralipom, decimonono, מִיְּרוּשָׁלַיִם

Appendix

Appendix alia.

INterdum etiamſi iod prima dictionis litera nõ habeat ſcheua, tamen cum huiuſmodi dictionibus tres memoratæ accedant literæ, ſolēt illud priuare ſuo puncto, & quieſcēs facere, ut Pſalmo quadrageſimoquinto, מלכים ביקרותיך ubi dicendum erat ביקרותיך

Caput decimumquintum.

LIteræ ſeruiles ſępenumero patiũtur eclipſim, qua de re rabbi Dauid Kimhi ita ſcribit, והאותיות השמוש פעמים יחסרו ממקומם בהיות הדבר מובן מהענין וכמה הכתוב על המבין כאשר יעשו גם כן במלים חסרים hoc eſt, & literæ ſeruiles aliquando deficiunt à loco ſuo, quum res eſt intellecta ex circumſtantijs, tum enim ſcri-

ptura nititur intelligentia ipsius Lecto-ris, sicut etiam faciunt in uocibus defi-cientibus.

SEquuntur exempla, Et primùm de מ Secūdi Samuelis cap. uigesimotertio,

אֶלְחָנָן בֶּן דּוֹדוֹ בֵּית לֶחֶם ר״ל מִבֵּית לֶחֶם

Exodi decimonono capite,

הִשָּׁמְרוּ לָכֶם עֲלוֹת בָּהָר ר״ל מֵעֲלוֹת

EXempla de ש Exodi capite decimo octauo, וְהוֹדַעְתָּ לָהֶם אֶת־הַדֶּרֶךְ יֵלְכוּ בָהּ ר״ל אֲשֶׁר אוֹ שֶׁיֵּלְכוּ בָהּ & ij. Paral. decimo-quinto, מִן הַשָּׁלָל הֵבִיאוּ ר״ל אֲשֶׁר אוֹ שֶׁהֵבִיאוּ

EXempla de ה suprà require, capite quinto.

EXempla de ו Iudicum cap. quinto, כָּרַע נָפַל שָׁכָב Exodi decimoquinto, אֶרְדּוֹף אַשִּׂיג אֲחַלֵּק שָׁלָל Habbacuk capite primo, שֶׁמֶשׁ יָרֵחַ

EXempla de כ Prouerb. undecimo, נֶזֶם זָהָב בְּאַף חֲזִיר ר״ל כְּנֶזֶם & Geneseos

quadra

quadragesimonono, גּוּר אַרְיֵה יְהוּדָה ר׳ל כְּגוּר & 1 Samuel. capite quintodecimo, כִּי חַטַּאת קֶסֶם מֶרִי ר׳ל כְּחַטַּאת

Tradunt insuper magistri Masoreth, uocem אֲשֶׁר quinquies in Biblijs cum defectu ipsius caph inueniri, & in omnibus illis locis per כַּאֲשֶׁר exponendam: quorum hos duos commemorat Rabbi Dauid Kimhi in suo Michlol, Exodi decimoquarto, כִּי אֲשֶׁר רְאִיתֶם בְּמִצְרַיִם & ibidem trigesimoprimo cap. תֹּאכַל מַצּוֹת אֲשֶׁר צִוִּיתִךָ

EXempla de ל ij Samuelis decimoquinto, וְדָוִד הִגִּיד לֵאמֹר ר׳ל וּלְדָוִד & Ieremiæ uigesimotertio capite, וְכֹל הֹלֵךְ בִּשְׁרִירוּת ר׳ל וּלְכֹל

EXempla de ב Exodi uigesimo cap. כִּי שֵׁשֶׁת יָמִים עָשָׂה ר׳ל בְּשֵׁשֶׁת & ij Paral. trigesimotertio וַיִּקְבְּרֻהוּ בֵּיתוֹ ר׳ל בְּבֵיתוֹ & ij Reg. xvi. הַנִּמְצָא בֵּית יְהוָה ר׳ל בְּבֵית

Caput XVI.

LIteræ seruiles non rarò in Bibliis ita se habent, ut una semel posita, ad duo referri debeat: quod quum sit, uocant illud Hebræi עוֹמֵד בִּמְקוֹם שְׁנַיִם id est, stans loco duorum: ut exempli gratia, Iob duodecimo, בִּישִׁישִׁים חָכְמָה וְאֹרֶךְ יָמִים תְּבוּנָה ר״ל וּבְאֹרֶךְ יָמִים

Sufficit in præsentiarum unum exemplum: nam hæc fortasse ad Syntaxim pertinere uidentur. Nolui tamen hîc prçterire, ut totam de literis seruilibus doctrinã Studiosi simul comprehensam haberent.

Caput XVII.

SVperiore libro, quum de punctulo dages sermo nobis institutus esset, partiti sumus illud in duo genera

nera. In lene ſcilicet, quòd in his ſex literis בגד כפת uel ab initio dictionis poſitis, uel in medio poſt ſcheua quieſcens, ſequenti bus imprimitur. Et in forte, quòd exceptis gutturalibus, in omnibus literis alphabeti locum habet, & nunquam ſine officio reperitur. Qua de re, quum eo in loco dicere ſuperſederimus, tēpus eſt ut de officiis Dages fortis, aliquid dicamus. Quum nanque hoc ſecundo Libro de Miniſteriis literarum ſeruilium diſpu tatum nobis ſit, non abſurdum eſſe puta ui, ſi uſum ac officia ipſius dages, his iam dictis, uice coronidis adiicerem.

PRimùm ergo annotarunt Hebræorum grammatici, dages forte ſemper ante ſe habere unam ex uocalibus punctis: quod in leni dages minimè fieri uide mus, quòd uel ab initio dictionis, uel in medio poſt ſcheua quieſcēs (qui quidem

punctulus non censetur inter Vocales, quando Syllabam constituere non potest) ponatur.

DEinde uerò hæc sunt eius officia. Ac primò quidem refert defectum literæ nun (quod elementum inter omnia reliqua facillimè excidit) in uerbis secundi ordinis: ut à נגש dicimus in futuro אגּישׁ Denotat etiam in his uerbis tertij ordinis, quæ post iod habent zade, defectum ipsius iod, ut à יצע dicimus הִצִּיע

Idem sentiendum est de nun passiuæ primæ coniugationis characteristico, in cuius locum dages transfertur, ut à נִפְקַר dicimus in futuro אֶפָּקֵר Proinde & nun præpositionis מִן denotat punctulus dages, ut pro מִן בַּיִת dicimus, abiecta litera nun מִבַּיִת

SEcundum dages fortis officium, est, quod figuratiua est notula secundæ coniu

coniugationis tam actiuę quàm paſſiuæ, ut פִּקֵּר פֻּקַּר Poniturq́ʒ ſemper in mediam literam radicalem.

TErtiò, dages forte repræſentat defectum alterius literæ duplicatæ in ordine uerborum ſexto, ut à סָבַב dicitur, abiecto altero beth, סַבּוּ

QVartò, dages poſt he demonſtratiuum ac uocatiuum, atq́ʒ etiam poſt literas בלב includentes in ſe ה demonſtratiuum, ponitur. Exempla, הַשָּׁמַיִם הַקָּהָל בַּיּוֹם בַּיּוֹם

QVintò, poſt uaf conuerſiuum uenit etiam dages, ut וַיֹּאמֶר

SExtò, dages forte propter ornatum lectionis dictionibus apponitur: idq́ʒ duobus modis. Primùm, in fine periodi, ſeu ſubdiſtinctionis, cum longa uocali, ut Iudicum quinto cap. בְּיִשְׂרָאֵל חָדֵלּוּ de quo Dauid Kimhi in ſuo Michlol ita

ſcribit, דגש הלמד לתפארת המלה כי כן דרך העברים לחזק קריאת האותיות בדגש לת ; לתפארת הקריאה בהפסק הטעמים hoc eſt, dages in lamed (appoſitum) eſt ad ornatum dictionis, quoniam hic eſt mos Hebræorum, ut fortificent lectionem literarum, ornãdæ lectionis gratia, idq́ in pauſa accentuum. Hæc ille.

Deinde, extra periodum, in dictione ſcheuata: quod rabbi Kimhi item teſtatur, quum ita ſcribit in Michol, וכן דרכם לחזק קריאת האותיות בדגש לתפארת הקריאה גם בלא הפסק והוא שתהיה האות שואית : hoc eſt, ſic etiam eſt mos illorum, ut fortificẽt lectionem literarum ad ornandam lectionem, etiamſi non ſit in periodi fine: idq́ fit, quando litera (ſic fortificanda per dages) fuerit ſcheuata. Exempla, primi Samuelis primo, בעבור הרעימה & Pſalmo octogeſimonono, עקבות משיחך

Appen

Appendix.

QVemadmodum dages ornatus & euphoniæ gratia literis imprimitur, ita sæpenumero contra regulam abijcitur, ut leuiùs pronuncietur dictio: ut secundi Regum secundo, בַּסְעָרָה

SEptimò, dages etiam loco quiescentiū aliquando, quod Hebræi appellant דָּגֵשׁ תְּמוּרַת חֲנָח hoc est, dages loco quiescentis. Æquipollent enim longum punctum & breue, sequente dages, ut קְרֻשָּׁה pro קְרוּשָׁה Et צִצִּים pro צִיצִים

OCtauò, dages non rarò repræsentat literam ת figuratiuam coniugationis quartæ, ut אַל תִּטַּמְּאוּ pro תִּתְטַמְּאוּ

NOno, omnia uerba quorum ultima radicalis est thaf, ea in præteriti persona secunda, & prima singulari, & secunda plurali utraque, abiiciunt thaf, ne duo thaf concurrāt, & illius defectum per da-

ges denotant: ut חִשַּׁבְתִּי pro חִשְׁבַּתְתִּי

DEcimò, indicat defectum literæ nun tertiæ radicalis in uerbo נתן quod anomalum eſt, & (ut Hebræorum grammatici uocant) defectum in extremitatibus: dicimus enim ab illo נתת pro נָתַנְתָּ

Proinde & in uerbo לָקַח in futuro defectum primæ radicalis denotat, Dicimus enim ab illo אֶקַּח Quamuis alij radicem eius נָקַח eſſe dicunt, ita ut ad duo themata ſit referendum.

Alia appendix.

ANnotandum eſt, dages quum denotat defectum literæ alicuius, ſemper in ſequentem poſt illam abiectam poni, ita ut index ſit præcedentis literæ, ut à נגשׁ dicitur אַגִּישׁ

Contrà uerò longa uocalia, quæ & ipſa quieſcentiũ literarum abſentiam oſtendunt, aliam ineunt rationem: nam ea ſe-

quentis

quentis literæ defectum demonſtrant, ut à יֵרַע dicitur אֵרַע ubi zere iod ſequens defeciſſe innuit.

Hæc de officiis dages dicta ſufficiant. Atque hîc eſto finis huius Secundi libri. Nunc ad Tertium tranſibimus, in quo exemplis declarabuntur, quæ Regulis hucuſque tradidimus.

F I N I S.

סֵפֶר הַשֵּׁנִי גַּם הוּא נִשְׁלַם בָּרוּךְ יְהִי הָאֵל
לְעוֹלָם הוּא יַעֲזוֹר לָנוּ לְהַשְׁלִים
מְלֶאכֶת שְׁאָר הַסְּפָרִים ׃

בגלר ואעי
תל
חוס ונתהוס

ELENCHVS CAPITVM.

Libri primi capita.

De infini

Libri secundi capita.

De officio

F I N I S.

הגיון

MEDITATIO- NES GRAMMATICÆ EX THRENIS HIEREMIÆ DESVMPTÆ.

AVTORE DAVIDE
KYBERO ARGENTIN.

Psalmo CXIX.
והגיתי בכל פעלך

Basileæ, Anno Domini
M. D. LII.

BERNHARDI BERTRANDI ad amicum integerrimum D. Dauidem Kyberum, apud Argentinenses linguæ Hebraicæ professorem, Carmen hexametrum.

Dotibus Hebræis instructus & arte Latina,
Ordine perpulchro ponis fundamina Linguæ
Sanctæ, nec poterit quisquam meliora docere.
Multa tibi merito debet Studiosa iuuentus,
Per te nunc poterit mysteria sacra uidere.
Ergo age, rumpe moras animúmque intende libenter,
Munera tanta Deus claro pensabit olympo.

DAVIDIS KYBERI
AD LECTOREM
PRÆFATIO.

REctè dixerũt ſapientes Hebræorum ueteri prouerbio, חֶרְגֵּל יַעֲשֶׂה אֻמָּן hoc eſt, Vſus artificem facit: quod quum in omni profeſſione magnum momentum habeat, in Lingua ſancta longè maximum habere, neminem uel mediocriter doctum ignorare exiſtimo. Tanta enim eſt uerborum per cõiugationes & formatione & ſignificatione diuerſas, uarietas: tam innumera ferè nominum, quo ad punctationem, diſcrimina, quæ illi מִשְׁקָלִים id eſt, pondera, uocant: ampliſſima item literarum ſeruilium cognitio: ut interim pũctorum literarumq; permutationes, metatheſes,

 parago

paragogas, & id genus ſexcentas diuer-ſitates taceam: ut qui omnia iſta ex nudis regulis percipere cogitet, inſanire potius quàm proficere, non immeritò uideatur. Quamobrem, quiſquis in hoc ſanctiſſimo ſtudio operam & impenſas ludere non uelit, is meo iudicio talem rationem inibit. Primùm quidẽ curabit, ut habeat non ſolùm fidelem, diligentem, eruditumq́ præceptorem, ſed etiam qui ſit διδακτικὸς, hoc eſt, qui bona methodo linguam adeò prægnantem explicare poſſit. Ipſe uerò parem induſtriã laboremq́ coniunget, atq; iuſto tempore ſe in grammaticis præceptionibus exercebit. Non enim illi mihi probari poſſunt, qui diſcẽtibus polliceri audent tantam huius linguæ facilitatem, ut labore unius menſis aut alterius uniuerſa conficiatur: multo minus ij ex numero diſcentium mihi placent

cent, qui ſibi perſuadent ſtudium Hebraicum tale eſſe, quod recreationis gratia, ſi quando à ſeriјs ſtudiјs feriari libitum fuerit, ſuſcipiatur: ideoq́ non magnoperè requiri uel diligentiã uel temporis etiam iuſtam portionem. Quaſi uerò ſacroſancta Lingua, qua ſpiritus ſanctus eloquia ſua cõſcribi uoluit, in qua promiſſio Euangeliј iam inde ab initio uſque ad nos propagata ac reuelata fuit, non etiam habeat ſuam difficultatem, ſuosq́ ornatus, ac lepôres: qui quidem nõ ita obuiј ſunt, ut citra laborem tam breui ſpacio temporis, à quouis perfunctoriè cognoſci poſſint. Nec uerò ideo dicta eſt לְשׁוֹן הַקֹּדֶשׁ id eſt, Lingua ſanctitatis: ut apud nos ingratos ad omnia beneficia Dei, tam prophanæ de illa cogitationes audiri debeant. Neque fruſtrà cognitio illius דִּקְדּוּק id eſt, ſubtilis inueſtigatio, eſt Hebræis

dicta, quæ uox à uerbo דָּקַק deriuatur, quod in puluerem uſque aliquid redigere & comminuere ſignificat: unde aliud nomen deſcendit דַּק id eſt, tenuiſſimum quid: in Lingua quippe ſancta minutiſſima quæqꝫ inueſtiganda ſunt, ut quæ certum ſuum uſum habeant. Sed relictis his ignorantiæ amatoribus, ad inſtitutum re uertamur. Vbi ergo diligenter in Regulis grammaticalibus (ſine quibus non ſecus in Hebraico ſtudio progredieris, ac ſi, ut Hebræi loquuntur, boues minare abſque ſtimulo contendas) uerſatus fueris, tum ad librum aliquem biblicum, maximè ex Hiſtoricis, quòd illi phraſim habeant & genus dicendi familiare, accedendum erit, & inueſtiganda themata. Ibi demum oculatiorem ipſo Argo te eſſe oportet, rationemqꝫ ſingularum literarum & punctorum curioſiſſimè inquire.

re, re.

re, reiectis prudenter & cum iudicio literis seruilibus: quarum quidem aliæ grammaticos affectus in partibus orationis exprimũt, puta personas, numeros, genus, & reliqua, quæ in formationibus uerborum & nominum, primo libro Grammatices demonstrauimus. Aliæ rursus nimirum משה וכלב ad rem consignificant, & uice integrarum partium orationis funguntur, ut secundo Libro copiosè declarauimus. Atque ita inuenta חָשֶׁשׁ quæ trinis literis plerunque constat, significationem eius non solùm ex Dictionario, sed etiam per usum quotidianum, collatis alijs locis Scripturæ, rimaberis: atque sic tandem ad finem optatum peruenies, ac laborum tuorum fructum percipies. Qua in re, ut studiosis huius linguæ pro uiribus adessem, adiunxi duobus prioribus Libris hunc Tertium, inscripsiq; il-

 lum

lum הִגָּיוֹן id eſt, Meditationem: quòd ſcilicet oſtendat quo pacto per exercitationem ac meditationem diligentem, ad uſum accõmodanda ſint præcepta grammatica. Volui autem has Meditationes grammaticas ex Threnis Hieremiæ deſumere, non tantùm quòd Liber ſit breuis ac ordine alphabetico conſcriptus, ſed etiam quia hodie ea ſunt tempora, ut nullus alius præ illo, meditationi eligendus uideatur. Nam in illo non obſcurè deſcribit Propheta, quæ fuerit cauſa captiuitatis illius Iudaicæ. Inquit enim primo capite, חֵטְא חָטְאָה יְרוּשָׁלַם עַל כֵּן לְנִידָה הָיָתָה׃ hoceſt, Peccatũ peccauit Ieruſalem, propterea ad deriſionem facta eſt. Et poſtea in eodem capite, quódnam fuerit illud peccatum, explicat, צַדִּיק הוּא יְהוָה כִּי־פִיהוּ מָרִיתִי hoc eſt, iuſtus eſt Dominus, quia ori eius rebellaui. De hoc peccato pœnas dare

nas dare Germaniam noſtram, quis non uidet? quæ ad omnes admonitiones uerbi Dominici ſurda planè longo tempore fuit. Atque utinam uel hodie peccatum ſuum inquirat, & agnoſcat, ac ad Dominum conuertatur: iuxta illud Ieremiæ in Thre. cap. iij. נַחְפְּשָׂה דְרָכֵינוּ וְנַחְקֹרָה וְנָשׁוּבָה עַד יְהוָה hoc eſt, perueſtigemus uias noſtras, easq́ ſcrutemur, & reuertamur ad Dominum. Quod reliquum eſt, optime lector, boni conſulas uelim labores iſtos tuo nomine ſuſceptos. Quòd ſi feceris, maiora (Domino fauente) in tui gratiam tentabimus. Vale. Chriſtumq́ precare, ut non tantùm Eccleſiam eiusq́ hoſpitia tueatur, ſed & ſtudia pia gubernet, ſcholasq́ conſeruet, quæ & bonarum literarum & doctrinæ quoquè cœleſtis cuſtodes ſunt. Argentinæ, anno Domini ſeſquimilleſimo quinquageſimoſecundo.

MEDITATIONES GRAMMATICÆ IN LAMENTATIONVM HIEREMIÆ CAPVT I.

¶ *Prima Dictio,*

אֵיכָה

VOx indeclinabilis eſt, ſeu (ut Hebræi dicunt) מִלָּה cuius radix eſt אֵיךְ, ad quam He paragogicum, ut uides, adiectum eſt: ultra quod, interdum etiam caph geminari conſueuit, ut dicamus אֵיכָכָה Eſther capite octauo, & Canticorum quinto cap. Significatio eius eſt diuerſa: nam aliquando

quando quærit de re quomodo facta sit: ut secundi Regum sexto. Interdum admirationis nota est, ut hîc uides. Vsurpatur etiam alibi pro אֵיכָה id est, ubi: ut Canticorum capite primo.

¶ Porrò notandum est, ab hac dictione אֵיכָה quia prima est, Librum denominari.

Quanquam in scriptis Rabbinorum aliàs appelletur, קִינוֹת id est, Lamentationes.

Solent enim Hebræi Libros sacros nominare,

Vel à prima Libri uoce: ut in hoc, & alijs.

Vel ab Autore: ut Liber Iosue, dicitur יְהוֹשֻׁעַ

Vel à materia: ut, Libri Regum.

Huius te admonitum uolui, ne quid inscriptionum uarietate offendereris.

II יָשְׁבָה uerbum ordinis tertiæ coniugationis kal actiuæ, generis fœminini, ſingularis numeri (quod litera he in fine indicat) temporis præteriti. Radix יָשַׁב eſt, quod habitare ſignificat, ut Geneſeos XIII. Et ſedere, morari, ut Iudic. VI. Deuteron. I. Et firmum, ac ſtabilem eſſe. Eſaiæ XIII. & Pſal. XXII.

III בָּדָד nomen eſt communis generis & numeri. Quandoq; aſciſcit lamed, ut שׁוֹכְנִי לְבָדָד Aliàs etiam alterũ daleth abijcit, ut Zach. XII. Et defectum illius literæ per dages reſarcit, quando eum affixis coniungitur, ut Eſa. V. וְהוּשַׁבְתֶּם לְבַדְּכֶם Significat hæc uox ſolitarium, ſolum, uel unicũ. Annotauit de illa Aben Eſra, בָּדָד שֵׁם נוֹפֵל עַל זָכָר וְעַל נְקֵבָה עִם לָמֶד וּבְחֶסְרוֹנוֹ וְכֵן מִלַּת בֶּטַח id eſt, badad nomen eſt cadens in maſculinum & in fœmininum genus cum lamed & cum defectu eius, ſic

etiam

etiam dictio Bætach, ſe habet, & cætera.

IIII הָעִיר he demonſtrationis eſt, debebatq́ʒ paſſach habere cum dages in ſequenti litera: quæ quia gutturalis eſt, protrudit illud dages cuius nō eſt capax, ſub punctum he, & ita fit kametz. Reliquæ tres literæ ſunt radicales. Nomen eſt appellatiuum, in plurali habet cum defectu uel (ut inquit R. Kimhi) בְּהִסָּתֵר חִירֶק עַיִן הַפֹּעַל id eſt, abſconſo iod ain hapoal, עָרִים Proinde Iudicū x. habet עֲיָרִים cum ſuo iod media radicali.

V רַבָּתִי iod in fine paragogicôs adiectum eſt. Nomen eſt adiectiuum fœminini generis רַבָּה deſcendens à radice רָבַב Porrò dages in hoc nomine indicat defectum alterius beth. He uerò hîc in thaf eſt mutatum: hoc enim moris eſt fœmininis, ut in conſtructione uel cum affixione unius literæ, he in thaf commutent. Significat

ficat hîc multitudinem, ſtatim in hoc uerſu magnitudinem. De hac uoce ſequẽtia annotauit Aben Eſra, מִלְעֵיל לְהַבְדִּיל בֵּין חִיוֹר הַנּוֹסָה וּבֵין יוֹדִין סִימַן הַמְּדַבֵּר id eſt, accentum habet in ſuperiori parte dictionis ad diſcernendum iod paragogicum à iod pronomine primæ perſonæ.

VI עַם nomen eſt à radice עמם Significat חִבּוּר וְדִבּוּק hoc eſt, coniunctionem & adhæſionem rerum inter ſe, hoc eſt collectionem hominũ, quam nos populum uocamus: dicitur non tantùm de hominibus, ſed & de brutis animãtibus: ut de locuſtis, Ioelis II. de formicis, Prouerbiorum XXX. de cuniculis, ibidem. & cætera. Porrò punctatio erit paſſach, quod tamen hîc propter accentum ſakeph, qui commatis uice fungitur, in kametz eſt mutatum.

VII הָיְתָה præteriti temporis, coniugationis

gationis kal, ordinis quinti, tertiæ perſonæ fœmininæ ſingularis. Radix eſt היה id eſt, fuit. Porrò tertia radicalis litera, he in fœminino genere in thaf conuerſa eſt, pro more uerborum deſinentium in literam ה he.

VIII כאלמנה Kaph ab initio genuina ſua punctatione præditum, ſimilitudinis eſt. Nomen eſt fœminini generis, indicante id ה in fine: quo reiecto, nomen habes אלמן maſculinum uiduus, à radice אלם obmutuit: nam litera nun eſt ex Hemanticis, quæ literæ ſunt formatiuæ nominum uerbalium.

Placet huc aſcribere quæ de etymologia huius nominis rabbi Kimhi in Radicibus, ex ſententia Rabbi Ionah recitat, quo uideant ſtudioſi huius Linguæ præſtantiam, quæ proprijſſima rebus nomina indidit. Sunt autem hæc Authoris

uerba, וְיָפֶה פֵּירֵשׁ רַבִּי יוֹנָה שֶׁכָּתַב כִּי מִן הָעִנְיָן הַזֶּה נֶאֱמַר לְאִשָּׁה שֶׁמֵּת בַּעְלָהּ אַלְמָנָה מִפְּנֵי שֶׁאֵינָהּ יְכוֹלָה לְדַבֵּר וְלָרִיב עַל בְּנֵי רִיבָהּ׃ hoc eſt, Et pulchrè interpretatus eſt rabbi Ionah, qui ſcripſit, quòd ab hac ſignificatione (obmutuit ſcilicet) dicitur mulieri cuius maritus obijt, almanah: eo quòd ipſa non poſſit loqui & contendere contra aduerſarios ſuos. Hæc ille. Hinc uidere licet gratiam Hebręi ſermonis, nam & eandem ob cauſam quam hic Kimhi refert, in ſacris literis uir mulieris caput eſt appellatus, & cætera.

VI בַּגּוֹיִם beth ab initio, præpoſitionis officio fungi ſignificat, in, inter, &c. debebatq́ cum ſcheua pūctari, ſed habet paſſach, propter he demonſtrationis abſens. Solent enim Hebræi, breuitatis gratia illud abiicere, & punctum eius his tribus literis בלב ſubiicere cum dages in prima

prima nominis litera, quemadmodum requiritur ad he demonſtrationis. Vide de Officijs literarum. Porrò nomen hoc eſt plurale, à radice גוי id eſt, gens: debebat uerò ita ſcribi גויים Nam ים nota eſt pluralis maſculini: ſed ait R. Kimhi, בכלם נפלה יוד הרבים מהמכתב ונשארה במבטא id eſt, in omnibus cadit iod plurale à ſcriptura (id eſt, non ſcribitur) & relinquitur in prolatione, id eſt, profertur, per punctum ſcilicet hireck.

Notandum etiam apud Hebræos commẽtatores hoc uocabulum uſurpari pro ijs qui non ſunt ex genere Iſraelitico, quẽadmodum & Græci omnes alias nationes uocabant Barbaros. Quanquam alicubi in ſacris Libris Hebræi quoq; nomine Goi appellentur. Ioelis cap. II. De locuſtis quoquè dicitur.

x שָׂרָתִי nomen fœminum ſignificans

principem, iod eſt paragogicū, ut ſuprà numero V. Radix eius eſt שרי principatum geſſit, unde maſculinum שר princeps, & in fœminino שרה principiſſa, mutatum eſt autem hîc he in thau, iod paragogicum.

XI במדינות Beth eandem hîc habet rationem, quam ſuprà numero IX. Nomen eſt plurale fœmininum, docente id ſyllaba ות In ſingulari habet מדינה id eſt, prouincia, ſub qua multæ urbes comprehenduntur, teſte Kimhi.

XII למס Lamed, præpoſitionem ad, ſignificat, & punctatur cum kametz, להורות על הא הדעת הנעדר ולא נדגש המם להקל על הלשון hoc eſt, ad innuendum he demonſtrationis quod deficit, mem non dageſſatur, ut eo leuiùs dictio proferri poſſit. Hæc Aben Eſra, מס uerò nomen eſt, ſignificans tributum uel uectigal

gal, à radice מסס unde nomen etiam מִסַּת oblatio. Deuteron. XVI. cap.

Versus secundus.

XIII בָּכוֹ תִבְכֶּה Hebraiſmus eſt duplici nomine. Primum propter geminationem, Flendo flebit, id eſt, uehementer flebit: hoc enim efficit infinitiuus cum uerbo coniunctus: uide libri primi caput undecimum. Deinde, quia futurum pro præſenti poſitum eſt, flet.

Prima uox (ut dixi) eſt infinitiuus primæ coniugationis kal, à uerbo בָּכָה quinti ordinis. Rabbi Aben Eſra de hoc infinitiuo ait, וָיו בָּכוֹ תַּחַת הֵא כִּי אוֹתִיּוֹת אֶהֶוִי מִתְחַלְּפוֹת id eſt, Vaf dictionis bacho, loco he eſt poſitum: nam literæ אהוי inter ſe commutantur.

Altera dictio eſt tertia perſona fœminini futuri kal, à prædicto uerbo, ſignificat Plorare.

XIIII בַּלַּיְלָה Quod ad beth attinet, uide suprà numero IX. He in fine est paragogicũ, nam radix huius uocis est לַיִל In plurali, quiescente iod, habet לֵילוֹת

XV וְדִמְעָתָהּ uaf copulatiua coniunctio cum suo genuino puncto hîc uisitur. He in fine cum puncto mappick, relatiuũ est fœminini generis. Radix est דָּמַע plorauit. Vnde nomen fœmininũ in he desinens (quod hîc pro more fœmininorum propter affixionẽ in thaf conuersum est) דִּמְעָה id est, lachryma. Tribuitur etiam Exodi XX. oleo quod guttatim è torculari fluat, ut inquit Kimhi.

XVI עַל לֶחֱיָהּ Prior uox est indeclinabilis, plerunq; significans Super, nonnunquam Cum, ut Exo. XXXV. I Samuel. XX. Et ad, ut Iosue II. Esa. XXIX. Et in, ut Genes. XXVII. Et iuxta, ut Exodi XL. Et usque ad, ut Iosue II.

Altera dictio radicem habet לְחִי id est, maxilla. He in fine relatiuum est, ut supra numero XV.

XVII אֵין לָהּ מְנַחֵם particula negandi quæ præponitur nominibus & indeclinabilibus uocibus, uerbis uerò tãtùm in participio præsenti præponitur, ut annotauit Kimhi, præteritis, & singularis fœminini personæ tertiæ futuri, לֹא præponitur.

לָהּ datiui casus articulus est.

Vltima uox est participium præsens in piel dagessato, à radice נִחַם id est, consolatus est: quod uerò dages coniugationis characteristicum hîc non apparet in media radicali, in causa est, quòd illa non est capax eius. Punctationem tamen illius coniugationis, non obscurè uidere potes.

XVIII מִכָּל mem ab initio, unà cum

nun, quod per dages hîc absorptum est, præpositionis uim habet, & in Lingua sacra uarij est usus: nam significat de, è, ex, à, ab, abs, absque. Deinde comparatiui est particula. Et pro יוֹתֵר id est, plus, usurpatur, ut Iudic. v. & alibi. Et pro פָּחוֹת id est, minus. Iosue cap. XIX. prope finem. Et pro in, ut Leuit. XXIII. Et pro præter, uel (ut Hebræi dicunt) חוּץ ut Iudic. XI. Et pro, ut non: ut Esaiæ cap. XV. Et pro integra uoce מִהְיוֹת id est, ut non sim, sis uel sit: ut primi Samuel. XV. cap. וַיִּמְאָסְךָ מִמֶּלֶךְ pro מִהְיוֹת מֶלֶךְ Punctatio huius uoculæ talis est, ut abiecta litera nun, defectum eius per dages sequenti literæ impressum suppleat. Si uerò illa litera non est capax ipsius dages, tunc litera mem punctum zere habebit, & cætera.

Proinde כָּל radicem habebit כלל hoc inde patet, quòd quum affixa habet, solet

ſolet dages in lamed imprimere, ad decla randum defectum alterius literæ duplica tæ. Significat comprehenſionem הַפְּרָטִים id eſt, indiuiduorum: hoc eſt, eſt nota uni uerſalis. Quandoq; per hyperbolen, rebus magnis & multis attribuitur, ut Geneſeos XLI. Omnis terra uenit in Ægyptum. Rurſus cùm particula negatiua ſignificat, nihil: ut II Samuelis XII. וְלָרָשׁ אֵין כֹּל id eſt, & pauperi non eſt omne, id eſt, quicquam, hoc eſt, pauper nihil habet. Notandum eſt etiam, hanc uocem duplex punctum habere: holem ſcilicet, idq; tum quando proprium accentum habet, ut uides in exemplo proximo: kametz uerò, idq; chatuph, id eſt, breuiter proferendum, quum eſt enclitica dictio, hoc eſt quum proprio accentu deſtituitur, & per makaph ſequenti dictioni coniungitur.

De kametz chatuph, uide Cantica Eliæ, undecimo cantico.

XIX אֹהֲבֶיהָ participium eſt præſens coniugationis kal actiuę pluralis numeri, hoc oſtendit uaf holem, & iod nota pluralis: quanquam mem abiectum ſit, propter he affixum fœminini, quod relatiuum eſt. Radix eſt אהב id eſt, dilexit.

XX רֵעֶיהָ nomen eſt (à nomine ſingulari רֵעַ id eſt, amicus: cuius radix eſt רֵעָה id eſt, ſocietatem iunxit) pluralis numeri, arguente id iod: he affixio eſt fœminini generis.

XXI בָּגְדוּ בָהּ eſt Afar kal pluralis, hoc demonſtrat uaf ſchureck & ipſa punctatio. Verbum ſignificat Præuaricari, Zum ſchelmen an eim werden. Habet poſt ſe uel beth, ut hîc: uel præpoſitionem מִן ut Ierem. III. uel nomen à ſe formatum ante ſe uel poſt ſe, ut Eſa. XXIIII. וּבֶגֶד בּוֹגְדִים בָּגָדוּ

בָּגָרוּ quo loco uidere eſt quantam uim geminatio & repetitio eiuſdem uerbi apud Hebræos habeat.

Altera uocula, ex he relatiuo fœminini ſingularis, & litera ſeruili beth, id eſt In, compoſita eſt.

XXII חָיוּ לָהּ לְאֹיְבִים Prior uox ab חָיָה uenit, & eſt aſar pluralis numeri, tertiæ perſonę. Solent enim uerba quinti ordinis abijcere ſuum he, uel potius in uaf commutare in hac perſona præteriti temporis: uti demonſtrabimus (Deo uolente) in alio libro, quum de Ordinibus imperfectis tractabimus.

Poſtrema uox habet à capite lamed, cum genuino ſuo puncto, articulum datiui caſus aliâs, hîc uerò uice præpoſitionis Ad, uel In. Reliquum eſt benoni maſculini pluralis kal, à radice אָיַב quæ ſignificat odium uel inimicitiã exercere.

Libet hîc annotare non iniucundam considerationem, quam uel ex literis in hac uoce possumus haurire. Vox אָהַב significat Dilexit, mediam literam habet he: rursus אָיַב significat Inimicum se præstitit, uel odio prosequutus est, & habet mediam literam iod. Istæ duæ dictiones non differunt inter se, nisi quoad mediam utriusque literam. Quæ enim in prima est, he scilicet, numero quinque ualet: quæ in altera, iod scilicet, decem ualet. Iam utraque est ex numero literarum אהוי quæ facilè inter se commutantur, uide suprà numero XIII. Quæ quidem omnia pulchrè indicant procliue esse, ut quis eum inimicum experiatur, qui paulò antè amicissimus fuerat: deinde, eos inimicos esse grauissimos, qui antea amici fuêre: sicut etiam numerus denarius per iod designatus, duplo maior est quinario, qui per

qui per he denotatur. Vnde in Pſalmo quinquageſimo quinto, Dauid de Achitophele grauiſſimè conqueritur, oſtendens ipſius inimicitiam intolerabilem eſſe, & longè acerbiſſimam. Sunt autem hæc ipſius uerba,

כִּי לֹא אוֹיֵב יְחָרְפֵנִי וְאֶשָּׂא לֹא מְשַׂנְאִי עָלַי
הִגְדִּיל וְאֶסָּתֵר מִמֶּנּוּ׃
וְאַתָּה אֱנוֹשׁ כְּעֶרְכִּי אַלּוּפִי וּמְיֻדָּעִי׃
אֲשֶׁר יַחְדָּו נַמְתִּיק סוֹד בְּבֵית אֱלֹהִים נְהַלֵּךְ
בְּרָגֶשׁ׃

Hoc eſt, Neque enim hoſtis erat, qui me probro afficiebat, alioquin tuliſſem: neque extulit ſe contra me, qui præ ſe ferebat odium mei, abſcõdiſſem enim me ab illo. Sed homo æqualis mihi, dux meus & notus meus. Mutuò enim & ſuauiter ſecreta cõmunicabimus, in domum Dei, in cœtu unà ibimus.

Hæc ille.

Ignoſce

Ignoſce, optime Lector: ſunt enim iſta à me nullam aliam ob cauſam in medium adducta, quàm ut oſtẽderem tantam eſſe Linguæ ſanctæ utilitatem, ut ea etiam in huiuſmodi literarũ גִּימַטְרִיּוֹת (ut loquuntur Hebræi) percipi poſſit. Sed hæc hactenus.

Verſus tertius.

XXIII גָּלְתָה יְהוּדָה Verbum quinti ordinis deſinẽs in he tertiam radicalem, quæ tamen hîc in thaf cõmutata eſt, pro more huius ordinis: nam poſtremum he fœminini in præterito nota eſt. Significationem eius Kimhi in Radicibus ita deſcribit, יָדוּעַ הוּא כִּי הוּא לְשׁוֹן טִלְטוּל וְהַנָּעָה
וְרוֹב הַלָּשׁוֹן הוּא טִלְטוּל הַשְּׁבִי וְיֵשׁ בּוֹ טל
טִלְטוּל הַנּוֹעַ לְבַד שֶׁאֵין בּוֹ שֶׁבִי ; hoc eſt,
Et notum eſt, quòd ſignificet motum & migrationem, & pro maiore parte ſignificat hæc radix, tranſmigrationem captiuitatis

tatis. Eſt tamen ubi motũ ſimpliciter ſine captiuitate ſignificat, ut II Samuelis XV.

יְהוּדָה Eſt nomen proprium unius ex filijs Iacob ex Leah progeniti, quem mater à confeſſione ſeu laude ita appellauit: eo enim nato dicebat, Hac uice laudabo nomen Domini: propterea (inquit Moſes) uocant nomen eius Iehudah, Geneſeos cap. XX. Radix eius eſt ידה Quia uerò ad tribum ex hoc ipſo Iehuda deriuatam, poteſtas regia pręcipuè ſpectauit, eaq; præ cæteris multis donis à Deo fuit ornata, quemadmodum uidere eſt in benedictionibus Iacob, Geneſeos XLIX. ubi commendatur à dignitate regia, à bellis ac uictoriis, à regni duratione, ſecuritate & firmitate, à Meſſia inde oriundo, à terræ denique fertilitate, ut interim præter eam templum & urbem metropolitanã Hieruſalem, necnon montem Zion clariſſimum

rißimum, & alia innumera quæ habuit
hæc tribus, præ cæteris. Ideo ſæpenume
ro in ſacris literis, Iudah pro toto popu-
lo Iſrael accipitur. Vnde & Iehudæi om-
nes, Iſraelitę appellantur, teſte rabbi Kim
hi, cuius hac de re in Radicibus, hæc eſt
ſententia, ולפי שעיקר מלכות ישראל וס
וסרנם חזוס יהודה נקראו כל ישראל יהודים :
hoc eſt, & quia fundamentum regni Iſ-
raelitici & cornu eorum forte, Iudah eſt:
propterea uocantur omnes Iſraelitæ, Ie-
hudæi. Proinde, quum tribus Iudah
non ſolùm propter cauſas iam memora-
tas, omnium auguſtißima ſemper fuerit,
ſed etiam nomen ipſum magnam præ ſe
ferat dignitatem, utpote quòd omnes li-
teras nominis Dei, τετραγράμματος in ſe
complectatur, Eam ob rem adferemus
quædam ex Commentario rabbi Abra-
hami Hiſpani, quem inſcripſit Faſcicu-
lum

lum myrrhæ, quæ non iniucunda, nec prorſus inutilia Studioſis linguæ ſanctæ futura ſperamus. Quum itaque autor iam dictus, in Commentarijs ſuis ſuper Geneſeos caput XXIX, pluribus ac copioſè explicaſſet rationem, cur Leah & Rachel filijs ſuis nomina impoſuiſſent, & non ipſe Iacob, nimirum quia fuerint ſapientiſſimæ ac propheticæ mulieres, & quæ per Spiritum ſanctum non ſolùm cognouerint ex ſe duodecim tribus Iſraelitici ſanctiſſimi populi deriuandas, uerùm etiam eodem Spiritu autore filijs ſuis talia indiderint nomina, quæ totum uitæ illorum curriculum, necnon poſteritatis eorundem accidentia, & quæ illi futuris temporibus euentura erant, complecterentur. Vnde & Iacob in benedictionibus, etiam ipſum Moſen ad iſta nomina, à maioribus ita impoſita, reſpexiſſe

contendit

contendit, imò quæcunq; illi de duodecim tribubus præ dixêre, omnia ea ex his nominibus hausiſſe affirmãt. Quum hæc inquam expoſuiſſet, tandem ad ſingulorum nominum myſteria inueſtiganda accedens, inter alia de nomine Iuda ita ſcribit, וכן מורה על שם המפורש של ע״ב שהוא שם יהוה העולה בצירופו ע״ב ואחר שזה כן ראוי לקרוא שמו יהודה שיש בו שם יהוה שעולה כ״ו ודלית של יהודה הרי ל׳ כנגד ל׳ מעלות של מלכות hoc eſt, Et ſic innuit nomen interpretatum, quod exponitur per ſeptuagintaduo alia nomina. Eſt enim nomen Dei Iehoua, quod aſcendit in ſua cõbinatione ad ſeptuagintaduos. Et poſteaquam ita ſe res habet, decet ut uocetur nomen eius Iehudah, in quo eſt nomen Iehoua, quod numero ualet uigintiſex. Et daleth litera in nomine Iehudah conſtituit triginta, qui numerus repræſentat

præſentat triginta gradus regni. Et pau-
lò póſt, רמז כי מצד שמו זכה למלכות אחר
ששם יהוה נקרא עליו וגו׳ id eſt, indica-
tur quòd per nomẽ ſuum dignus regno
factus ſit, poſteaquàm nomen Dei ſuper
illo uocatum fuit, & cætera. Deinde uerò
locum ex prophetia Iacob, Geneſ. XLIX
adferens, ita explicat, וכן לא יסור שבט
מיהודה אחר שיש בשמו שם יהוה וכמו
שהשם קיים ומלכותו קיימת כן יהיה הוא ק
קיים במלכותו עד כי יבא שילה הוא מלך
המשיח וגו׳ Et infrà. וזהו עד כי יבא שילה
כי אז יהיה מלכות בית דוד קיימת ולעלמין
לא תתחבל Et poſtea, ואם הוא רמז למלך
המשיח כמו שכתבתי למעלה שזהו עד כי
יבא שילה מלך המשיח שהמלוכה שלו אב
ברכה יעקב ומודעת אעפי שיש בהם פנים
רבים על מלכי ישראל עיקרם לעתיד לבא על
מלך המשיח וגו׳ Hoc eſt, Et ſic non rece-
det ſceptrum à Iudah, quum in nomine

illius contineatur nomen Dei, & quemadmodum Deus eſt firmus ac ſtabilis, eiusq́; regnū perpetuò durat: ſic erit etiam ipſe firmus in regno ſuo, Donec ueniat Silo. Ipſe eſt rex Meſsias. Et hoc eſt, Donec ueniat Silo, quoniam tunc erit regimen eius confirmatū & in æternum non deuaſtabitur. Et ſi innuit regem Meſsiā. ſicut ſuprà ſcripſi, quòd nimirum Silo ſit Meſsias, ad quem regnum ſpectat, ergo licet benedictio Iacob & Moſi magiſtri noſtri (ſuper eum ſit pax) uarijs modis de regibus Iſrael interpretentur, fundamentum tamen eorum ad futura & ad Meſsiam Regem ſpectabant. Hæc ille. Quæ eo lubentius adduxi, quòd non tantùm ſibijpſi Rabbi iſte contrarius intelligatur, quum ſuper Geneſeos quadrageſimum nonum caput, de his uerbis, Non auferetur ſceptrum, & cætera. friuola

uola multa comminiſcitur, ne ueritatem fateri cogatur: ſed etiam quod utiliſſimã hîc regulam tradit, quæ non tantùm in hoc loco explanando, ſed & in omnibus prophetijs interpretandis ſequenda eſt: quæ tametſi iuxta ſenſum literalem & hiſtoricum ad reges Iſraeliticos referri non nunquam poſſunt, præcipuè tamen ad Chriſtum (qui finis eſt Legis & ſcopus omnium ſcripturarum, quæ etiam omnes de ipſo teſtantur) eiusq́ regnum accommodandæ ſunt: quemadmodum & hîc Rabbi Abraham Hiſpanus fatetur, adactus interpretatione ipſius Midraſch in Prophetica illa uerba, quæ habentur in principio capitis quinquageſimiquarti Eſaiæ, Exulta ſterilis quæ non paris, & cætera. unde ſe hæc omnia hauſiſſe teſtatur.

Sed hæc hactenus.

XXIIII Mem, ab initio ſeruilis eſt, ſignificat idem quod Propter, ſicut & rabbi Salomon ſentit, qui interpretatur מֵחֲמַת עָנְיִי id eſt, propter afflictionem. Quod ad punctationem attinet, punctatur mem hîc enim zere, propter gutturalem non recipientem dages, quod deſectum literæ nun repræſentare debebat. Vide ſuprà XVIII עָנְיִי nomen eſt uerbale, oſtendente id iod litera figuratiua uerbalium, à radice עָנָה id eſt, afflictus eſt. Exponitur uerò locus biſariàm actiuè, propter afflictionem, qua ſcilicet pupillos afflixit, ut habet Chaldæus: & propter duritiam ſeruitutis, qua plus æquo preſſit ſeruos Hebræos, paſſiuè, propter afflictionem, & propter multitudinem ſeruitutis, qua ſcilicet ab hoſtibus affecta fuit.

XXV וּמֵרֹב עֲבֹדָה Vaſ copulatiua ante labiales

te labiales literas naturale ſuum pũctum ſcheua in ſchureck commutat. Vide in Officijs. Sic etiam hîc accidit. De mem, eadem eſt ratio ſignificationis & punctationis, cum præcedente ſtatim.

רֹב multitudo, nomen deriuatum à radice רָבַב

Altera uox nomen eſt uerbale generis fœminini, indicante ad he terminatione fœmininorum frequentiori à radice עָבַד cuius ſignificationem Kimhi in Radicibus ita deſcribit, עִנְיָן הַכֹּל הַשִּׁמּוּשׁ לִבְנֵי אָדָם וַעֲבוֹדַת אֱלֹהוּת וַעֲבוֹדַת הָאֲדָמָה וּלְרוֹב צוֹרֶךְ אָדָם אֶל הָאֲדָמָה וְשֶׁצָּרִיךְ שֶׁיִּהְיֶה מִתְעַסֵּק תָּמִיד בָּהּ הוּא אֵלֶיהָ כְּעֶבֶד לִפְנֵי אֲדֹנָיו׃ hoc eſt, ſignificatio omnium (ex hac ſcilicet radice) eſt uel ſeruitium, quod præſtatur hominibus (ut Leuit. cap. XXV.) uel cultus diuinus (ut Exodi XX cap.) uel cultus terræ (ut Geneſ. IIII. & Samuel. IX.)

Et propterea quòd neceſſe habet homo, ut continuò in ea excolenda occupatus ſit: ideo, reſpectu illius, homo tanquam ſeruus ad dominum ſe habet. Hæc ille.

Interim phraſim Linguæ ſanctæ hîc obſeruabis, quæ quum laboret inopia nominum adiectiuorum, ſolet duo nomina ſubſtantiua coniungere, quorum alterum genitiui ſit caſus, ut hîc, Præ multitudine ſeruitutis: pro, Præ multa ſeruitute. Alibi, Redemiſti me Deus ueritatis: id eſt, Deus uerax. & cætera.

XXVI היא ישבה בגוים Prima uocula eſt pronomen ſeparatum tertiæ perſonæ fœmininæ à maſculino הוא quod habet uaf cum ſchureck.

Altera dictio explicata eſt ſuprà, 11.

Tertia, in ſigno IX.

XXVII לא מצאה מנוח Prior uocula indeclinabilis eſt, aduerbium negandi.

Altera

Altera dictio, eſt præteriti temporis, ſingularis fœminini, coniugationis kal, à radice מצא id eſt, inuenit, ordinis quint

Tertia dictio, nomen eſt uerbale, indicante id litera mem, una ex figuratiuis uerbalium, à radice נוח id eſt, quieuit: quam rabbi Kimhi in Radicibus, ita exponit, ענין המנוחה ידוע והכל ענין אחד בין המנוחה מהמלאכה ומעסקי האדם ומהיגיעה ומהצרות בין חניית החבר אומרים שהוא נח בו הכל מנוחה Senſus eſt, Vocem hanc ſignificare quietem & ceſſationem ab opere & negocio hominis, & quietem à labore & tribulationibus, necnon & moram in aliquo loco, quieſcendi cauſa. & cætera.

XXVIII כל־רדפיה השיגוה Vox prior ſuprà numero XVIII explicata eſt.

Altera, participium eſt plurale maſculin. primæ coniugationis, præſentis temporis, ut uidere eſt in pūctatione holem.

Proinde alterum ſignum pluralis numeri, mem ſcilicet propter affixum abijcitur. Eſt enim he cum kametz hîc affixum generis fœminini ſingularis tertiæ perſonæ. Quo loco ne mireris (optime lector) quòd relatiuum non in numero cum hoc nomine conueniat. Hebræorum enim relatiua ſemper ad antecedens, non ad proximum cum quo componuntur, nomen referri ſolent. Huius uerò uocis radix eſt רָדָה perſequutus eſt.

Tertia uox eſt præteriti coniugationis tertiæ actiuæ pluralis numeri he, in fine affixum, ut in proxima dictione. Radix eius eſt נָשָׂא pro qua tamen uſurpatur הִשִּׂיא uerbum tertiæ coniugationis abiecto nun prima radicali & dages defectum eius ſupplente, כֻּלָּם עִנְיָן הַהַרְבָּקָה וְהַהַגָּעָה hoc eſt, omnium (ab hoc ſcilicet uerbo deſcendentium) ſignificatio eſt, adhærere

adhærere & attingere, aſſequi: teſte rabbi Dauid Kimhi.

XXIX בֵּין הַמְּצָרִים Prior dictio tertiæ eſt partis, indeclinabilis, ſignificans Inter: ſemper hanc habet punctationem, & recipit affixa: aliquãdo pro maiori delaratione, beth illi præponi affirmat Kimhi, ut Eſaiæ XLIIII capite.

Altera uox, he demonſtratiuum cum ſua genuina punctatione præfixam habet, & eſt pluralis numeri: in ſingulari habet מֵצַר quam rabbi Salomon ita exponit גְּבוּלִים שֶׁל שָׂדֶה וָכֶרֶם id eſt, terminos agri, ſeu uineæ. Et Kimhi in Radicibus, ſic interpretatur, כְּלוֹמַר בֵּין הַגְּדֵרִים גָּדֵר מִזֶּה וְגָדֵר מִזֶּה שֶׁלֹּא תּוּכַל לָנוּס אָנֶה וָאָנָה hoc eſt, Quaſi dicat, inter macerias, ubi ſit paries hinc & illinc, ita ut fugere neque in hanc, nec in aliam partem, non poſſit.

Proinde, quod ad radicem huius no-

minis attinet, non una eſt Commentatorum ſententia: quin & ipſe rabbi Kimhi ad duas illud radices retulit ad מצר ita ut litera mem ſit radicalis. Sic enim ait, ueteres in Thalmud ſentire, & ad צָרַר quod tamen illi plus arridet, quæ radix ſignificat anguſtiare: unde מֵצַר id eſt, anguſtia, tribulatio: ut habes in Pſalmis centeſimo decimoſexto, & centeſimo decimo octauo: ita ut hæc litera mem, ſit figuratiua uerbalium, & non hîc radicalis. Ad quam ſententiam rabbi Aben Eſra inclinare uidetur, quum de hac uoce ita ſcribat, מִן הַמֵּצַר וְאִם הוּא מְשֻׁנֶּה מְעַט וְהָרֵישׁ רָאוּי לְהִדָּגֵשׁ Hoc eſt, à mezar uenit, etiamſi aliquantulum uariet, & reſch litera dageſſari debeat (ſcilicet propter alteram duplicatorum, quum deſcendat à dictione צרר) Hæc ille.

Verſus

Versus quartus.

XXX דַּרְכֵי צִיּוֹן אֲבֵלוֹת Prior dictio pluralis est numeri, in statu regiminis: nã absolutè diceretur דְּרָכִים id est, uiæ. Nomina enim masculina pluralia, quũ post se regunt casum, uel affixum: tum mem alterum signum pluralis numeri abijciunt, & ante literam iod præmittunt punctum zere: quamuis pro illo nonnunquã ante quædam affixa sægol ponatur: ut uidere potes paulò antè signo XXVIII. Singulare uerò huius nominis, est דֶּרֶךְ quod uiam significat: & pro cõsuetudine etiam accipitur Genes. VI. Radix est דָּרַךְ significat incedere, ut Iosuæ primo capite: conculcare, calcare, Esa. LXIII. Mich. VI. & intendere arcum, uti infrà Thren. II. & Hierem. cap. LI.

Altera uox, Zion, nomen est proprium montis, in quo aliquando fuit arx munitissima

munitiſſima, quum à Iebuſæis teneretur, quæ à Dauide quum Saulini regno ſucceſſiſſet, capta fuit, & poſtea ciuitas Dauid dicta, ut habes II Samuelis V & VII. Demum uerò templum in eo monte à Salomone fuit ædificatum. Vnde tantis laudibus à Dauide in Pſalmis commẽdatus eſt mons Zion: quum & typus fuerit ueræ Eccleſiæ Dei, quæ in rupe fortiſſima fundata eſt, ſemperq́ inexpugnabilis, iuſanientibus etiam portis inferorum permanſit, quemadmodum ad finem uſque ſeculi firma, promittente Chriſto. Matthæi XVI cap. perſtabit, quicquid tandem conetur mundus.

Poſtrema uox, pluralis eſt numeri, fœminini generis, atteſtante id terminatione וֹת In ſingulari habet אֲבֵלָה cuius eſt maſculinũ eſt אָבֵל quod Kimhi nomen formale eſſe dicit, à radice אָבַל hoc eſt, luxit

luxit, lamentatus eſt. maſculinum hoc nomen formale habet, Eſther cap. VI.

XXXI מִבְּלִי בָּאֵי מוֹעֵד Prior uox eſt compoſita: conſtat enim propoſitione מִן de, è, ab, & cætera: quæ & nonnunquam Propter, ſignificat. uide numerum XVIII. Et particula negatiua בְּלִי cuius thema eſt בַּל nam iod quod hîc uides eſt paragogicum: idem nanque hæc uox cum iod, quod ſine iod ſignificat.

Altera uerò participium eſt præſens plurale maſculinum à radice בּוֹא id eſt, uenit, ingreſſus eſt. Verbum eſt quarti ordinis, quorum conſuetudo eſt abijcere uaf mediam radicalem, & loco eius kametz ſub prima collocare, ut hîc factum eſſe uides. Proinde eſt hîc in regimine: regit enim caſum, ideoq; alterum ſignum plurale, mem ſcilicet abiecit, & punctauit cum zere, pro more maſculinorum.

Et notabis

Et notabis hîc conſtructionem figuratam. Participium enim hîc uim habet nominis: alioquin, ſecundum naturam participiorum, ſic oportebat conſtruere, בָּאִים לְמוֹעֵד id eſt, Venientes ad feſtum: non, uenientium feſti: uti hîc ad uerbum ſonat, ſi participialiter exponamus. Non aliter etiam apud Latinos, etiam participia in nomina degenerant. dicimus enim Amans tui, & cætera.

מוֹעֵד nomen eſt uerbale, denotante id mem, una ex hææmanticis literis, à radice יָעַד (quæ ſignificat teſtari, fœdus inire, locum & tempus certum præſcribere) quæ eſt tertij ordinis, quæ in quibuſdam uerbalibus nominibus â ſe formatis, iod literam in uaf mutant.

Eſt enim frequens & procliuis literarum אהוי Eheui, mutua inter ſe tranſmutatio.

Porrò

Porrò, hoc ipſum nomen ſignificat tempus ſtatum ſolenne & certum, ſiue de ſacris, ſiue de prophanis diebus intelligas, ut habes Geneſeos capite primo, & infrà capite ſecundo. Hoc loco rabbi Salomo de feſtis diebus intelligit: at Aben Eſra uerò aliter ſentit, ita enim ſcribit,

והטוב בעיני שהוא המקדש ונקרא מועד
בעבור היות כל ישראל נועדים שם וכן שרפו
כל מועדי יהוה באש :

Hoc eſt, Mihi uerò placet, quòd ſignificat ſanctuarium (hoc eſt, templum) Vocatur uerò templum מועד propterea quòd totus Iſrael, tanquam ad certum locum conueniret ex pacto. Sic etiam in alio loco ſignificat, ſcilicet Pſalmo ſeptuageſimo quarto, ubi dicitur, Combuſſerunt, ſeu incenderunt omnia ſanctuaria Domini igne.

Hactenus Aben Eſra.

XXXII כָּל שְׁעָרֶיהָ שׁוֹמֵמִין De prima uoce ſuprà numero XVIII habes.

Altera eſt pluralis numeri, maſculini generis, cum affixo fœminini generis, & abiectum eſt alterum ſignū plurale, mem ſcilicet pro more maſculini plural. & punctatur cum ſægol: hoc enim affixum cum plurali maſculino, ſemper habet ante ſe ſægol, quieſcente iod: uide ſuprà plura exempla in ſecundo uerſu. Singulare eſt porta שַׁעַר In plurali abſoluto habet, mutatis punctis, שְׁעָרִים

Tertia dictio, nomen eſt formale pluralis numeri, in ſingulari habet שׁוֹמֵם id eſt, deuaſtatus, à radice שָׁמֵם Sunt autem hîc duo obſeruanda: primùm, quòd in plurali numero hoc nomen retinet ſuū punctum zere (quod tamen in nominibus, in pluralem numerum, motis in ſcheua regulariter conuertitur) quia eſt hîc

in pauſa

in pauſa, hoc eſt cum accentu diſtinguenˀte orationem. Habent enim accentus apud Hebræos magnam uim in mutatione punctorũ, præſertim ij qui orationem in ſua membra diſtinguũt. Triplex enim officium Hebræi accentibus ſuis tribuerunt: primùm nanq; ſyllabas oſtendunt eleuandas uel deprimendas, ut & Græcorum accẽtus: deinde uerò inſeruiunt cantillationi Iudaicæ: poſtremò, orationem in ſua membra diuidunt. Tametſi autem triginta ſint accentus, ut ſuo loco declarabimus: tamen quatuor ſunt, qui frequentius uſurpantur in poſtremo officio, hoc eſt, qui orationem diſtinguũt, quos obiter hîc commemorabo in gratiam ſtudioſorum. Primus itaq; appellatur סוֹף פָּסוּק uel סִלּוּק qui in fine periodi collocatur: figura eius eſt talis, ut uidere eſt in primo uerſu huius libri, ſicut & in omnibus to-

tius Bibliæ : לַמִּס Alter dicitur אַתְנָח cuius figura talis est ‸ Ponitur plerunque in medio uersu huius primi capitis Threnorum, in dictione כְּאַלְמָנָה

Tertius uocatur זָקֵף קָטוֹן Ponitur super literas. Figura eius est non alia quàm ipsius scheua, nisi quòd supra capita literarum imponitur: quemadmodum contrà scheua, literæ substernitur. Constituitque ferè colon, uti uidere potes in hoc uersu tertio, in dictione מִצֹּעַר & præsenti, quam nunc explicauimus.

Quartus, dicitur רְבִיעַ Punctulus est unicus instar holem, crassius tamen, & ponitur super medium corpus literæ, ut docuimus libro primo, capite quarto. Estque ferè primi membri distinctio, seu colon, aut comma, ut uidere potes in tertia uoce secundi uersus בַּלַּיְלָה & in tertia uoce huius quarti uersus אֲבֵלוֹת

Isti ergo

Iſti ergo quatuor accentus ſæpenumero mutant breuia puncta in longa: quemadmodum enim grauia & ſonora accertorum pedum ac numerorum uerba, rhetores in fine periodorum collocant: ita maximè illud præceptum in ſacra Scriptura obſeruatum eſt, ut ſcilicet grauia & producta uerba, in fine diſtinctionum collocarentur, quo ea quæ dicta fuerunt, eo melius etiam perpenderentur.

Hæc paucis dicta ſint de Accentibus, quantum quidem in præſentiarum Studioſi requirere poſſent. Nam in alio Libro copioſè de hac re tractabitur.

Alterum, quod in uoce quam nunc præ manibus explicandum habemus, obſeruari oportet: nimirum id eſt quod in fine literam nun habet pro mem: oportebat enim regulariter, quum ſit maſculinũ

 pluralis

pluralis numeri, ita ſcribi שׁוֹמֵמִים uti paulò infrà habebis in hoc ipſo primo capite: quod & Aben Eſra annotauit, cuius hæc ſunt uerba, נוּן תְּמוּרַת מֵם כִּי הֲמֵם וְהַנּוּן מְשָׁרְתִים בְּסוֹף הַמִּלָּה סִימַן רַבִּים וְרַבּוֹת hoc eſt, Nun loco mem (ſcilicet eſt poſitum) quoniam mem & nun ſeruiunt in fine dictionibus, indicantq́ pluralem maſculin. & fœmini. numerum: quaſi dicat, facilè potuerunt commutari. Hæc ille.

XXXIII כַּחֲנִיתָ נֶאֱנָחִים Prior dictio plurale eſt maſculinum, cum affixo fœminino ſingulari, quale iam antea ſæpe uidiſti in præcedentibus uerſibus. Nec uerò miraberis, quòd talis hîc apparet combinatio, quæ nec in genere, nec in numero conuenit. Ea enim eſt relatiuorum apud Hebræos natura, ut in genere & numero conueniant cum antecedente, non cum eo nomine uel uerbo cui ſtatim ſubiunguntur

guntur, id quod operæprecium eſt benè attendere. Singulare eius eſt כֹּהֵן quòd ſacerdotem ſeu miniſtrum dei ſignificat, nonnunquam pro principe accipitur. II Reg. x. item II Samuel. II & VIII. à radice כָּהַן quæ ſignificat (teſte Kimhi in Radicibus) miniſterium perficere cum magnificentia. Fuerunt enim ſacerdotes ſerui Dei, & capita etiam ſeu principes populi. unde Germani Iudæi uocem cohen exponunt Tempel herren hoc eſt, templi dominus. Id quod maximè in Aſamoneos, & præcedentes eos ſacerdotes conuenit, qui non tantùm ſacerdotes, ſed & populi Iudaici participes fuêre.

Altera uox, participium plurale eſt maſculini gen. coniugationis niphal, quod atteſtatur nun, figuratiua ipſius niphal: cuius tametſi genuinum punctum erat hireck, tamen propter gutturalem aleph

(quod hireck coniunctionem maximè auersatur, ſicut fert natura omnium gutturalium) in ſægol eſt conuerſiuum. Aleph uerò hîc regulariter quidem ſcheua quieſcens habet, contra tamen ſuam & omnium gutturalium naturam, id factum eſſe ſcias. Radix eius eſt אֲנַח quamuis in prima actiua coniugatione kal, non ſit in uſu, ſed tantùm in paſſiuo eius niphal, cuius ſignificationem rabbi Kimhi in Radicibus, ita explicat, עִנְיָנָם הוֹצָאַת הַנְּשִׁימָה מִפְּנֵי הַדְּאָגָה שׁוֹשְׁפִּיר בְּלַעַ״ז hoc eſt, ſignificatum eorum (quę deſcendunt ab hac radice) eſt eductio ſpiritus propter anxietatem, Suſpir in uulgari lingua ſcilicet, exponitur. Hæc rabbi Dauid Kimhi.

XXXIIII בְּתוּלוֹתֶיהָ נוּגוֹת Prima dictio pluralis numeri eſt, fœminini generis, cum affixo fœminino, & epentheſi

literæ

literæ iod. Solent enim nomina pluralia fœminini generis, cum quibuſdam affixis, ita iod literam aſciſcere, quæ non ſecus punctatur atque iod plurale abiecto mem: id quod & indeclinabilia pleraque imitantur: id quod nullam aliam ob cauſam fit, quàm ut ornatè affixa ſine hiatu & κακοφωνίᾳ dictionibus aſſuantur. Singulare eſt בְּתוּלָה id eſt, uirgo, cuius etymon memini ſic mihi tradere doctiſſimũ iuxtà ac piĳſſimum uirum dominum Emmanuelem, præceptorem meum obſeruandiſſimum, שְׁתִיַּת יצר tanquam conſtet tribus particulis,

בְּ ſcilicet ſeruili litera, id eſt, In.

תּוּ quod ſignificat Signum.

לָה pronomine fœminino.

Ac ſi dicas, Integram, intactam, ac quaſi adhuc conſignatam.

Hæc ille.

Altera uox planè eſt anomala, nec niſi unam habet hîc radicalem literam (ut annotauit Salomon Iarchæus) gimel ſcilicet: nam nun, prima litera eſt figuratiua coniugationis niphal. Vaf uerò ex litera iod prima radicali eſt commutata. Eſt enim thema יָגָה & habet ſchureck loco holem (uerba enim incipientia à prima radicali iod, in paſſiuo mutant illud iod in uaf holem) quemadmodum enim literæ quieſcentes facilè inter ſe commutantur: ita idem in punctis non infrequens eſt. Proinde eſt participium præſens plurale fœmininum, quod teſtatur וֹת ſyllaba. Proinde he, tertia huius uerbi radicalis quieſcit.

x x x v וְהִיא מַר־לָהּ In prima uoce quæ eſt pronomen ſeparatum tertiæ perſonæ fœmininum accedit uaf copulatiua cum genuino ſuo puncto ſcheua, מַר uerò nomen

rò nomen eſt, ſignificat amaritudo, à radi
ce מָרַר

Poſtrema uocula datiuus eſt fœmini-
nus ſingularis, conflatus ex lamed articu
lo datiui & he cum mappik affixo fœmi-
nini generis.

Notabis interim Hebraicam phraſim
in hac uerſus clauſula, qua enumeratis ali
quot partibus, tandem in genere conclu
dens, dicit, Et ipſa amaritudo ei. pro, Et
ipſa amaritudine eſt oppreſſa: ut ſcitè ex-
preſſit Hieronymus. quaſi dicat, Quid
enumerem omnes eius afflictiones, quũ
ipſa politia Iudaica planè ſit amaritudi-
ne, hoc eſt, aduerſis conſopita, & ueluti
ſepulta, immo (quod plus eſt) quum to-
ta nihil aliud ſit, quàm amaritudo, &c.

Verſus quintus.

XXXVI הָיוּ צָרֶיהָ לְרֹאשׁ Prima di-
ctio eſt præteritum plurale primæ coniu
D 5 gationis

gationis kal, à uerbo חָיָה quod eſt Fuit, uerbum quinti ordinis: quæ quidem in præteritis ſolent in ſecunda & tertia ac prima perſona utriuſque numeri tertiam radicalem literam in iod commutare: in tertia fœminina uerò ſingularis, in thaf: in tertia plurali, in uaf ſchureck: uti hîc uides. Id quod in pręteritis omnium con iugationum hæc uerba facere ſolent.

Altera uox eſt pluralis numeri maſcu lini, cum affixo fœminino he.

Et nota Regulam,

Quando pluralia maſculina cum he af fixo fœminino coniunguntur, tunc abie cto mem iod quieſcit, ac ſemper ante ſe habet ſægol.

Singulare huius eſt צַר plurale צָרִים à radice צָרַר id eſt, afflixit: hoſtes enim affligunt. Poteſt etiam radix huius nomi nis eſſe צוּר eiuſdē ſignificationis: ueluti & Kimhi

& Kimhi ad utrunq; hoc nomen retulit.

Postrema uox, præfixum habet lamed cum genuino suo puncto: significat enim Ad, & In.

ראש radix est, & significat Caput. Videtur uerò hîc Propheta respexisse ad locum Deuteronomij cap. XVIII, Dabit te Dominus in caput, & non in caudam.

XXXVII איביה שלו Prior uox est participium præsens, plurale mascu. cum affixo fœminino. Qua de re iam sæpe dictum est. Radix est איב Vide suprà XXII.

Altera dictio præteriti est temporis, tertiæ personæ pluralis, in coniugatione kal, à radice שלה prosperari significat. Verbum est quinti ordinis, quorum normam inflectendi in præterito, suprà numero aut signo XXXVI docuimus.

XXXVIII כי יהוה הוגה Prior uocula est indeclinabilis, de qua rabbi Kimhi

ita

ita affirmat חִיא לְעוֹלָם מִלַּת טַעַם hoc eſt, eſt ipſa perpetuò particula rationis.

Altera dictio, nomen Dei eſt Tetragrammaton, & ineffabile, quod apud Iudæos cultores literæ in magno (ut quidem ipſi exiſtimãt) honore habetur: nec enim illud unquam proferunt, ſed loco eius Adonai pronunciant: nec illud integris literis ſcribunt, niſi in ſacris Biblijs: qua in re egregiè ſuam produnt ſtultitiã, quaſi uerò non proferre liceat in textu Biblico, quod in eodem ſcribere non abhorrent. Sed hac de re fortaſſe alibi copioſiùs tractabimus, ubi & de omnibus Dei nominibus, quæ in ſacris literis Deo attribuuntur, agemus. Neque enim hoc loco Cabaliſtam, ſed grammaticum ago. Scias ergo hoc nomen Dei, à radice הָיָה id eſt, ab exiſtendo deriuari, complectiq; omnia tempora, præſens ſcilicet, præteri

tum &

tum & futurum. Vnde inter omnia nomina Dei, nullum est quod dilucidiùs naturam Dei nobis definiat. Reliqua enim omnia, affectus Dei ferè describunt. Sed de his (ut dixi) aliâs.

Postrema uox, uerbum est tertiæ coniugationis, hoc ostendit litera he figuratiua illius. Radix est יגה cuius suprà quoquè meminimus. Porrò iod prima radicalis hîc in uaf holem commigrauit, pro more uerborum tertij ordinis incipientium à iod. He, in fine affixum est, quod ostendit mappik, nam litera he radicalis quiescit.

XXXIX עַל רֹב פְּשָׁעֶיהָ Prior dictio suprà numero XVI explicata est, nisi quod addendum est, illam hoc loco significare Propter.

Secundam, numero aut signo XXV exposuimus.

Tertia

Tertia uox, plurale nomen masculinū cum affixo fœminino est, qualia iam plurima habuimus. Singulare est פֶּשַׁע scelus, uel iniquitatem significat. In plurali numero absoluto habet פְּשָׁעִים scelera, uel iniquitates. Radix est פָּשַׁע id est, rebellare. & cætera.

XL עוֹלָלֶיהָ הָלְכוּ שְׁבִי Prima uox plurale est mascu. cum affixo. Singulare eius est עוֹלָל significat paruulum.

Alterum, est uerbum præteriti temporis tertiæ personæ pluralis numeri kal. Notandum est, hoc uerbum duplicem habere radicem. הָלַךְ scilicet, à qua tria tempora inflectuntur, preteritum scilicet & utrunque participium. & יָלַךְ à qua reliqua tria infinitiuus, imperatiuus & futurum, more uerborum incipientium à iod (quæ in his tribus temporibus iod abijciunt, & zere præmittunt) inflectun

tur

tur: dicimus enim in infinitiuo לֶכֶת in imperatiuo לֵךְ in futuro אֵלֵךְ תֵּלֵךְ & cætera.

Poſtrema uox nomen eſt à radice שָׁבָה id eſt, captiuum ducere. Et obſeruãdum eſt circa hoc nomen, ſubaudiendam aliquãdo literam ſeruilem, beth ſcilicet, uel lamed: ut dicamus, Abierunt infantes eius, שְׁבִי pro בַּשְּׁבִי Sic enim ſæpenumero literæ ſeruiles ſubaudiuntur, quum eclipſim patiuntur.

XLI לִפְנֵי צָר Prior uox conſtat ex articulo lamed, cuius ſcheua in hireck eſt commutatum, ne ab initio duo ſcheuaim concurrerent. Et ex nomine conſtructiuo plurali, quod abſolutè ita ponitur, פָּנַיִם in duali, uel פָּנִים in plurali numero, à radice פָּנָה uertit. Solent enim pluralia maſculina, quum caſum poſt ſe regunt, abijcere literam mem, & punctare ante iod zere.

Quo

Quo loco conſiderandum eſt, diuerſam eſſe Hebræorum conſtructionem à Latina, qui nomen quod regitur, uariare ſolent. Dicunt enim, Viæ Sionis. Secus uerò Hebręi, qui uariant uocem regentem. dicunt enim דַּרְכֵי צִיּוֹן cuius regulæ probè te meminiſſe uelim.

Altera uox ſuprà numero XXXVI explicata eſt, niſi quòd hîc kametz longum punctum habet loco paſſach breuis, quia in fine periodi collocata eſt.

Verſus ſextus.

XLII וַיֵּצֵא מִן בַּת צִיּוֹן Vaf ab initio non tantùm copula eſt, ſed & conuertit hîc futurum in præteritum. Habet enim paſſach ſequente dages. Eſt autem hoc uerbum tertiæ perſonæ ſingularis maſculini, futuri kal. Radix eius eſt יָצָא egreſſus eſt. Proinde hîc uides iod radicale quieſcere poſt zere, ſecundum ritum & conſue-

consuetudinem uerborum incipientium à prima radicali iod.

Altera particula suprà numero XVIII exposita est.

בַּת uerò nomen est fœmininum à radice בָּנָה id est, ædificauit. de qua rabbi Kimhi in Radicibus hoc pacto scribit,
ומהענין הזה בן בנים לפי שהם בנין האב והאם
ובן בת וראוי להיות בנת והראיה שיאמר לרבות
בנות ובן חברו עם חבנויים יגש לחסרון הנון
בתו בתה בתי ומשפטם בנתו בנתה בנתי :
Hoc est, Et ab hac significatione (radicis scilicet בנה) uenit בֵּן בָּנִים id est, filius, filij: eo quòd filij sint ædificium patris & matris. Et sic בַּת id est, filia (similiter scilicet ab eadem radice descendit) quæ analogicè ita scribi debebat בְּנַת quod uerum esse inde patet, quòd ab illa in plurali dicimus בָּנוֹת filiæ: deinde uerò quando cum affixis coniungitur, tunc litera

thaſ dageſſatur propter defectum nun, בִּתּוֹ filia eius, & cætera. Et regulariter dici oportebat, בִּנְתּוֹ & cætera. Hæc ille. Filiam autem Zion appellat hîc Propheta ipſam urbem Hieroſolymam: mons enim Zion, in quo & templum, in medio urbis ſitus erat: urbs uerò ad radices eius, ita ut uideretur ſubeſſe & ſubiacere monti, ut filiæ matribus ſuis ſubiacent: & cætera.

XLIII כָּל־הֲדָרָהּ De priore uocula ſuprà ſigno aut numero XVIII diximus.

In altera, he in fine cum mappik præcedente kametz eſt affixum fœminini ſingularis. Nomen eſt הָדָר decus, ornatus, honos. Proinde propter affixam prius kametz in hatephpaſſach commutatum eſt. He enim gutturalis non recipit ſimplex ſcheua. Radix huius nominis eſt הָדַר id eſt, honorauit.

XLIIII הָיוּ שָׂרֶיהָ כְּאַיָּלִים Primæ uocis explicationem, uide ſigno aut numero trigeſimoſexto.

Altera uox, plurale eſt maſculinū cum affixa litera he. Abſolutè שָׂרִים In ſingulari שַׂר princeps, à radice שׂוּר uel שָׂרַר id eſt, principatum exercere, dominari. Caph ab initio poſtremæ dictionis, ſimilitudinis eſt particula, habetq́ ſuum hîc genuinum punctum ſcheua. אַיָּלִים eſt pluralis numeri dictio, ab אַיָּל id eſt, ceruus.

XLV לֹא מָצְאוּ מִרְעֶה Primùm omnium ſubaudiendum hîc eſt relatiuum אֲשֶׁר id eſt, Qui.

לֹא particula eſt negatiua.

Altera uox, plurale eſt præteritum kal, tertiæ perſonæ, à radice מָצָא id eſt, inuenit.

Poſtrema, nomen eſt uerbale (atte-

ſtante id litera mem capiti præfixa) à radi ce רָעָה paſcere. Inde מִרְעֶה pabulum, uel locus paſcuus. Notandum eſt, hoc he in fine eſſe radicale, ut indicat ſægol. Solent enim tam nomina quàm uerba, quorum tertia radicalis eſt he, ante illud punctare ſægol, ad diſcrimen literæ he ſeruilis, quæ ferè ſemper ante ſe habet paſſach uel holem. & cætera.

XLVI וַיֵּלְכוּ בְּלֹא־כֹחַ In prima dictione uaf eſt conuerſiua: conuertit enim futurum in præteritum. Quæ uerò ſit ratio & radix huius uerbi, explicaui ſigno XL. niſi quòd hîc eſt futurum kal tertiæ perſonæ pluralis numeri.

Altera, conſtat ex בְּ cum genuino ſuo puncto, In: & particula negandi. quę duo inncta idem ſignificant quod apud Latinos, Abſque.

Tertia, nomen eſt, ſignificans Robur,

cuius

cuius radix eſt כּוּחַ quieſcit enim hîc uaf.

XLVII לִפְנֵי רוֹדֵף Priorem uocem require XLI ſigno.

Poſterior benoni eſt maſc. ſingul. kal à רָדַף perſecutus eſt, cuius ſuprà quoque mentio facta eſt. Annotat hîc rabi Salomo, כָּל רוֹדֵף שֶׁבַּמִּקְרָא חָסֵר וְזֶה מָלֵא שֶׁנִּרְדְּפוּ רְדִיפָה שְׁלֵמָה Hoc eſt, Omne Rodeph quod in Biblijs inuenitur, deficit (hoc eſt ſine uaf ſcribitur, ſolo remanente holem) & hoc hîc eſt plenum (hoc eſt, habet unà cum holem etiam uaf literam) eo quòd perſequutione plena perſequuti ſint Iſraelitæ. Sed hæc ad Maſorah pertinent. Faciunt tamen ad exaggerationem captiuiuitatis huius perpendendam.

Verſus ſeptimus.

XLVIII זָכְרָה יְרוּשָׁלַםִ Prior uox præteritum eſt ſingul. fœmin. kal, à radice זָכַר id eſt, meminit, recordatus eſt.

Altera uox, nomen est proprium urbis metropolitanæ, in terra quondam Israelitica. De cuius etymologia quædam annotauit Steuchus in caput decimumquartum Geneseos, quæ huc adscribere non absurdum esse duxi. Sunt ergo hæc eius uerba:

Salem quoque quidam Hierusalem esse crediderunt, quæ prius Salem, deinde Iebus: postea ex Hebraico & Græco, facto nomine, appellata sit Hierusalem: quod absurdum esse, ex ipso nomine cognoscitur. Quare melius est quod asserit Hieronymus, non esse hanc Hierusalem, sed oppidum iuxta Scythopolim, quod etiam tempestate Diui Hieronymi Salem appellabatur: ubi ostendebatur palatium Melchisedech, ex magnitudine ruinarum, ueteris ædificij demonstrans magnificentiam

gnificentiam. Hoc ex plerisque aliis Sacræ Scripturæ locis cognoscitur. Ego uerò existimo nomen Hierusalem, non ex Græca Hebraicáque uoce esse compositum, ab ἱερός, id est, sacer, & Salem, quasi sacra ciuitas: sed aut corruptum esse nomen, etiam apud Hebræos, aut studiosè factam esse literarũ mutationem: ut quæ prius uocaretur Iebusalem, dicta sit Ierusalem. Nam ea ciuitas olim appellabatur Iebus, deinde uocata est Salem, postea nomen unum è duobus factum est, Iebusalem. Hæc ille.

Neque hoc latere te uelim, quòd in hoc nomine urbis pro suo more superstitio Iudæorum excogitauit. Dicunt enim inter lamed & mem iod literam desiderari, cuius index est punctus hireck inter has ipsas literas. Quumq; iod una sit

 ex qua-

ex quatuor elementis nominis Dei quadrilitteri, aiunt eam ex hoc nomine urbis ſubtractam, eo quòd nunc ab idololatris & impijs Mahometiſtis occupetur, reſtituendam uerò tempore Meſſiæ, qui omnem Iſraeliticã terram repurgabit ab iſtis quiſquilijs & impuritatibus. Hæc & ſimilia nonnunquam adduco in gratiam Studioſorum, quorum animos recreare ſtudeo: alioqui tædio inter ſpinas iſtas grãmaticas nimium affectos. Sed ad alia pergamus.

XLIX יְמֵי עֳנְיָהּ וּמְרוּדֶיהָ Prior dictio plurale eſt cõſtructiuum, abſolutum eſt יָמִים à ſingulari יוֹם dies.

Altera, nomen eſt cum affixo fœminino: planè illud ipſum quod ſuprà XXIIII explicauimus, niſi quòd hîc habet punctum kametz loco holem.

Poſtrema uox, primùm habet uaf copulatiuum

pulatiuã, quę ſuum ſcheua in ſchurek mutauit, tum propter labialem, quum etiam propter alterũ ſcheua, ne ſcilicet duo ſcheuaim ab initio concurrerent. He in fine affixum eſt fœmin. ſingul. Nomen eſt plurale, cuius radicem rabi Salomo aſſignat רוּד & exponit per לְשׁוֹן צַעַר hoc eſt, anguſtiam. Aben Eſra uerò mem radicale eſſe dicit. Kimhi ad utranque radicem refert : & in priore dicit idem ſignificare quod טִלְטוּל hoc eſt, diſperſionem. In altera uerò radice, hoc eſt in מָרַד dicit ſignificare דַּלוּת וְשִׁפְלוּת id eſt, pauperiem & humilitatem: cui & Aben Eſra aſtipulatur. Nomen ergo erit מְרוּדִים Eſa. LI. à radice מַעַר

L כָּל מַחֲמַדֶּיהָ nomen eſt plurale cum affixo fœminino, abſolutè ſic מַחֲמַדִּים deſiderabilia, à radice חָמַד id eſt, deſiderarunt.

LI אֲשֶׁר חַיוּ מִימֵי קֶדֶם Prior uox eſt relatiuũ omnis generis, numeri & caſus. Vſurpatur uerò & pro ſi, Leuit. IIII. Deuter. XI. & pro ſic, כֵּן 1 Samuel. XV. & pro לְמַעַן id eſt, ut, quo: & cætera. Deuteron. IIII. & pro eo quòd, 1 Reg. XV. & pro copulatiua litera uaf. Eccleſiaſtes VI. Hoſeæ cap. XII. Proinde caph litera ſimilitudinis ſæpe ei adijcitur. Leuit. VIII. quod tamen in quibuſdam deficit, Exodi XIIII. qua de re uide librum noſtrum de Seruilibus. Præponitur & huic particulæ litera beth, ut Geneſeos XXXIX. ubi ſignificat Eo quòd. & Iudic. V. Iob XXXIX. nbi locum denotat.

Hæc ex Radicibus Kimhi adducere uolui, quia dictio eſt frequentiſſima.

Altera dictio ſuprà nnmero aut ſigno trigeſimoſexto, ab initio explicata eſt.

Tertia, ab initio habet literam mem præpoſi

præpoſitionem, quæ abĳcit ſuum nun, quemadmodum ſcripſimus, & defectum eius in pe dages ſequenti literæ inſcriptum, exprimit: niſi accedat ad uocem, cuius prima litera ſit iod ſcheuata (ut hîc in dictione יְמֵי Sic enim ſcribi debebat, niſi acceſſiſſet litera mem, à יָמִים abſoluto, cuius ſingulare eſt יוֹם ut habes ſuprà numero aut ſigno quadrageſimo no no) tunc enim illud ſcheua abĳcitur unà cum dages, quemadmodum hîc uides: qua de re etiam ſcripſimus in libro de Ser uilibus, capite nono.

Poſtrema, nomen eſt ſex punctorum, & (ut dicunt Grammatici) ſignificat Retrò tempora, uel (ut habet diuus Hieronymus) dies antiquos, præcedentes annos: nam inde deducitur uerbum in piel קִדֵּם id eſt, præuenire, præire, præcedere, præparare: ut Ionæ capite quarto, & Pſal.

Pſal. LXVIII. Mich. VI. Deuter. XXIII. Pſal. XVII. Refertur uerò hoc nomen non tantùm ad tempus, ſed etiam ad locum, ut habes Geneſeos II & III cap. Vocatur enim orientalis plaga קֶדֶם quemadmodum ex Exodi XXVII capite, & iam citatis locis apparet. Sic ab hoc nomine uentus orientalis appellatur קָדִים Exodi X. Et mare etiam oriẽtale ſuum inde nomen ſortitum eſt, ut habes Ioelis II. quemadmodum ibi quoque mare occidentale uocauit הַיָּם הָאַחֲרוֹן mare poſterius, reſpectu iſtius uocis.

LII בִּנְפֹל עַמָּה בְּיַד־צָר Prima dictio infinitiuus kal eſt cum una litera ex bachlam, beth ſcilicet, quod ſcheua habere debebat, quod tamen in hireck eſt commutatum, ne ſcilicet duo ſcheuaim ab initio concurrant. Radix eſt נָפַל id eſt, cecidit. In altera, he cum mappik relatiuum eſt

generis

generis fœminini. Vox ipſa ſuprà ſigno VI explicata eſt, niſi quòd hîc in mem habet dages, quod refert alterum mem abiectum: nam radix eius eſt עֲמָם

In tertia, beth cum ſuo genuino puncto ſcheua ſeruilis eſt, & ſignificat In.

יַד uerò manum ſignificat, pūctaturq́ cum kametz, quod in paſſach cōuerſum eſt, eo quòd ſit enclitica dictio: coniungitur enim per uirgulam makaph (quæ in paruis & monoſyllabis uoculis ferè ſemper talem mutationem pūctorum efficit, ut ſcilicet longa in breuia conuertantur: quemadmodum accētus breuia uocalia in longa transferunt) ſequenti dictioni, ita ut quaſi in unum corpus coaleſcant, & uno accentu proferēdæ ſint. Radicem eius, Kimhi putat eſſe יָדָה Proinde quia multiplicis eſt ſignificationis hæc uocula, non grauabor de illa ex rabbi Dauidis

Kimhi

Kimhi Dictionario aliquid annotare. Ac cipitur ergo aliquādo pro poteſtate, Numer. XXXI. & pro auxilio, Thren. V. & pro confœderatione ac ſocietate uel con ſilio. II Reg. X. & II Samuel. XIIII. Hiere. XLI. & pro robore, potentia, ac fortitu- dine, Ioſue VIII. Interim etiam locum ſi- gnificat præparatū ad aliquid (ut inquit Kimhi) ſicut manus homini præſtò ad- eſt & parata ad omnes actiones. Deuter. XXIII. & II Samuelis XIIII & XVIII. Ita etiam hoc nomine cardo ianuæ appel latur, Exodi XXVI. Significat etiam par tem, hæreditatem, portionem. II Samu. XIX. Sæpenumero pro plaga accipitur, Exo. IX. Et pro potentia, Numer. XI. cap.

Proinde regulam dat rabbi Kimhi,

Vbicunque poſt uocem iod ſequatur beth litera ſeruilis, quod ibi ſignificet pla gam. Et pro Prophetia accipitur, quæ

cum

cum impetu uenire ſolet, Ezechielis I. & XXXVII. Eſa. VIII. & pro præcepto uel legatione, ut Eſræ III. Eſt uerò hoc nomen plerunq; fœminini generis, aliquando maſculini. Hæc ille.

Poſtremã uocem require ſuprà ſigno XXXVI. niſi quòd hîc habet kametz loco paſſack, propter accentum reuiah, qui unus eſt ex diſtinguẽtibus, ut docuimus ſuprà XXXII ſigno.

LIII וְאֵין עוֹזֵר לָהּ Vaf ab initio copulatiua eſt, cum ſuo naturali puncto ſcheua. Reliquam particulam ſuprà XVII ſigno expoſui.

Secunda dictio eſt benoni kal, ſingul. maſc. à radice עָזַר adiuuit, auxilium tulit.

Poſtrema uocula pronomen eſt fœmininum relatiuum datiui caſus ſingularis: conſtat ex lamed litera ſeruili articulo datiui, & he cum mappik fœminino affixo.

LIIII

LIIII רָאִיתָ צָרִים He in fine primæ uocis, iterum affixum eſt fœmin. ſingul. Reliqua pars præteritum eſt plurale kal, à radice רָאָה id eſt, uidit. Verbum eſt ordinis quinti. Quæ uerò ſit inflexio horũ uerborum in præterito, unà cum alteta uoce, uide ſuprà ſigno XXXVI.

LV שָׂחֲקוּ עַל מִשְׁבַּתֶּהָ Prima uox præteritum eſt plurale kal, à radice שָׂחַק quę & lętitiam & denſionem ſignificat. Et nota, Media litera radicalis quia eſt ex gutturalibus, quæ purũ ſcheua auerſantur, ideo chatephpaſſach habet. Regulariter enim iuxta paradigma dicendum erat, שָׂחְקוּ

Secundæ interpretationem require ſuprà in XVI ſigno.

Tertia, in fine habet he affixum, & eſt pluralis numeri: tametſi iod nota pluralis (quam tamen ſægol hîc repræſentat)

numeri

numeri exciderit. Singulare eſt מִשְׁבַּת nomen uerbale, teſtante id litera mem, deriuatum à radice שָׁבַת quod ſignificat ceſſare, quieſcere. Per ceſſationes hîc quidam intelligunt ceſſationem gaudiorum & religionis Iudaicæ. Noſtri interpretes interpretantur ſabbata, quibus & rabbi Salomo aſtipulatur.

Verſus octauus.

LVI חֵטְא חָטְאָה יְרוּשָׁלַם Prior uox nomen eſt deriuatum à radice חָטָא id eſt, peccauit.

Altera, præteritum fœmininū eſt kal, ſing. ab eadem radice.

Tertia dictio explicata eſt XLVIII ſigno, niſi quòd adijciendū exiſtimo, punctationem ipſius eſſe dualis numeri: unde non ineptè dici poſſet, Veteres Hebræos reſpexiſſe in hoc ad duplicem Hieruſalem; cœleſtem inquam, cuius Paulus

Hebr. XII. meminit: & terrenam, quæ prioris typus fuit. Poſtremò, animaduertas uelim phraſim Hebræam, quæ geminatis iíſdem uocibus exaggerare negocium ſolet: uelut hîc, Peccaui, peccauit: quaſi dicat, grande flagitium admiſit: uel quaſi dicat, Non eſt quòd ſe excuſet, aut iniuriam ſibi fieri putet Hieruſalem, nam peccauit, & non uulgariter quidem, ita ut benè merita ſit pœnas: & cætera.

LVII עַל כֵּן לְנִידָה הָיָתָה Duæ iſtæ priores particulæ coniunctę idem ſignificant quod apud Latinos, propterea. De עַל uerò ſeorſim ſuprà XVI. כֵּן autem deriuatum eſt à radice כון eſtq́ aliâs nomen formale, & ſignificat rectum, bonum, integrum. II Reg. VII. Gen. XLII. Iere. VIII & XXIII. Aliâs uerò aduerbialiter uſurpatur, ſignificatq́ Sic, nonnunquam Etiam, affirmandi particula eſt, Soletq́ ſæpe

numero

numero ſecum habere uel lamed,ut Ge-neſ.xxx.Sophon.II.& cum beth,Eſther iiij.Eccleſiaſtis viij.Et particulam עַל uti hîc uides,& Geneſis xxxviij,Eccleſiaſtis viij. Cum lamed & iam dicta particula, aliquando affirmantis & aſſeuerantis eſt, nonnunquam etiam(ut dictum eſt)rationalis coniunctio. Hæc hactenus.

In altera dictione,lamed ab initio cum ſuo naturali puncto ſcheua,præpoſitionis Ad uel In,uim habet. Porrò ipſa,nomen eſt fœmininum, à radice נוד quæ commoueri uariè,iactari ſignificat. Exponitur uerò locus bifariàm:alij legunt, In commotionem facta eſt:hoc eſt,inſatiabilis facta eſt:ducta eſt enim in captiuitatē. Alij uerò,inter quos & Aben Eſra,exponunt per deriſionem,& adducunt pro ſe locum ex Pſalmo xliiij.ubi dicit,Poſuiſti nos parabolam in gentibus, & commo-

tionem capitis (מְנוֹד quod ab eodem thema te deſcendit) in populis, qua figura, deriſio & ludibrium ſignificatur. Vtraq; lectio probari poteſt. Hieronymus primam ſequutus eſt, Hebræi & Sanctes Paginus alteram.

Tertia dictio fœmininum eſt ſing. kal præteriti à radice חָיָה de qua XXXVI ſigno. Notabis hîc, ſcheua in kametz propter accentum diſtinguẽtem eſſe conuerſum: regulariter enim ſic erat ſcribẽdum חָיְתָה & cætera.

LVIII כָּל מְכַבְּדֶיהָ הִזִּילוּהָ Primam particulam ſuprà ſigno XVIII require.

Altera uox, participium eſt præſens piel (atteſtãtibus mem & puncto dages) cum affixo fœminino, cuius naturam uide ſuprà ſigno XXXII. Radix eſt כָּבֵד

Poſtrema, primùm à fine habet he affixum fœm. ſing. deinde ipſa eſt tertiæ coniugationis

iugationis (atteſtantibus id he & iod figuratiuis) prǽteriti temporis, pluralis numeri tertiæ perſonæ. Radix eſt זול Annotauit Kimhi de hac uoce in hæc uerba, וְהוּא עִנְיַן הַבִּזָּיוֹן וְהָרָאוּי הֱזִילוּהָ וּבָא בְּדָגֵשׁ כְּמוֹ וַיַּלִּינוּ עָלָיו אֶת כָּל הָעֵדָה hoc eſt, ſignificatio eius eſt contemptus, porrò ita ſcribi debebat regulariter הֱזִילוּהָ (pro more ſcilicet uerborum quarti ordinis) uenit autem cum dages, quemadmodum illud Numer. xiiij. ubi dicitur וַיַּלִּינוּ cum dages, pro וַיָּלִינוּ â לוּן Hæc ille.

LIX כִּי רָאוּ עֶרְוָתָהּ De priore particula diximus ſigno trigeſimo octauo.

Altera uox eſt præteritum plurale tertiæ perſonæ kal, à radice רָאָה quæ eſt ordinis quinti, quo pacto uerò illa uerba in præterito inflectantur, uide numero trigeſimo ſexto.

Tertia uox habet he in fine cum map-

 pik

pik affixum relatiuum fœmininum ſingulare. Nomen eſt עֶרְוָה (he enim hîc in thaf eſt mutatum, propter annexionem relatiui, pro more fœmininorum) hoc eſt nuditas, turpitudo, à radice עָרָה nudauit: & cætera.

LX גַּם הִיא נֶאֶנָחָה Prima uox particula eſt, quæ ſignificat ſemper (ut inquit Kimhi) תּוֹסֶפֶת עִנְיָן hoc eſt, additionem rei: quãuis alicubi idem ſignificet, quod Ne quidem, ut Pſal. decimoquarto, Non eſt גַּם אֶחָד id eſt, ne quidem unus. aliâs Etiam, quum eſt exaggerantis particula, ſignificat: ut Prouerb. decimoquarto.

De altera, numero trigeſimoquinto.

Poſtrema dictio, præteritũ eſt niphal fœmininum, ut teſtatur he in fine, & ſcheua præcedens kametz: ſi enim & illud fuiſſet kametz, tunc fuiſſet benoni, quemadmodum uidere potes numero trigeſimotertio

motertio, quo loco & radicem & significationem eius exposuimus, simul & puncta declarauimus.

LXI וַתָּשָׁב אָחוֹר Vaf ab initio primę uocis est conuersiua: conuertit hîc futurum in præteritum. Est autem hoc uerbum futuri coniugationis kal, tertiæ personæ fœminini generis, singularis numeri, à radice שׁוּב reuersus est.

Hoc loco notabis regulam,

Verba quarti ordinis, in futuro kal, pũctant futuri figuratiuas cum kametz, ad innuendum defectum seu quietem literæ uaf mediæ radicalis.

Dicunt enim à prædicta radice אָשׁוּב יָשׁוּב ubi uaf in medio non est radicale, sed tantùm litera מְשֵׁה protractionis con iuncta cum schureck puncto. Proinde quũ huiusmodi futura cum uaf conuersiuo fuerint, uel cum parua aliqua dictione

tunc illud uaf ſchureck in kametz, idq́ꝫ raptum, conuertitur. Notabis uerò, aliud eſſe kametz hateph, quod ſcilicet conſtat cum ſcheua, ut ֳ: Et aliud etiam eſſe kametz hatuph, id eſt, raptum, quod breue quidem eſt, & tanquam o proferri debet, non tamen habet ſcheua adiunctum: qua de re uide Cantica Eliæ, cantico XI.

Poſterior uox aduerbialiter uſurpatur pro Retro, retrorſum. Radix eſt אָחַר & cętera. Vaf enim cum holem, formam nominis conſtituit, quamuis hanc dictionē Kimhi, tanquam primitiuum in ſuo Lexico ponat.

Verſus nonus.

LXII טֻמְאָתָהּ בְּשׁוּלֶיהָ Nomen eſt fœmininum deſinēs in he (quod tamen hîc propter affixum fœmininum, in thaf eſt conuerſum) טֻמְאָה id eſt, immundicies, à radice טָמֵא immundus fuit.

Altera

Altera dictio eſt plurale maſculinum cum affixo fœminino, quemadmodum in multis ſuprà uidiſti, à ſingulari שׁוּל id eſt, fimbria. Porrò beth ab initio cum ſcheua, naturali ſuo puncto ſeruilis eſt, præpoſitio In.

LXIII לֹא זָכְרָה אַחֲרִיתָהּ Primam uocem uide ſigno uigeſimoſeptimo.

Altera, præteritum eſt fœmininum (teſtante litera he) ſingul. tertiæ perſonę kal à זָכַר radice, de qua ſigno XLVIII.

Tertia, fœmininum eſt nomen ſingul. (docente id terminatione ית de qua ſuprà libro primo, capite uigeſimoſecũdo. Radix eſt אַחַר ſuprà ſigno ſexageſimo primo. He in fine cum mappik eſt affixũ relatiuum fœminini.

LXIIII וַתֵּרֶד פְּלָאִים In prima uoce uaf cum paſſach ſequente dages. Conuerſiua eſt particula. Conuertit enim hîc fu-

turum in præteritum. Eſt enim hoc uerbum tertiæ perſonæ ſingularis fœminini futuri kal, à radice יָרַד Eſt enim hîc iod prima radicalis abſorpta, quieſcit, eamq́ repræſentat zere magnum punctum ſub litera futuri, pro more uerborum quinti ordinis.

Altera dictio, pluralis eſt numeri maſcul. à ſingulari פֶּלֶא id eſt, mirabile, admiratio. Radix eſt פָּלָא Et notabis hîc phraſim Hebræam, deſcendit (cum mirabilibus uel admirationibus) hoc eſt, mirabiliter.

LXV אֵין מְנַחֵם לָהּ Tota hæc clauſula explicata eſt ſuprà numero XVII.

LXVI רְאֵה יְהוָה אֶת־עָנְיִי Prior uox, imperatiuus eſt kal actiuæ, ſingularis maſculini, à radice רָאָה id eſt, uidit.

Altera dictio, ſuprà numero trigeſimo octauo explicata eſt.

Tertia

Tertia particula, articulus eſt accuſatiui, punctaturq́ue uel cum zere: idq́ue tum quum proprio accentu præditus eſt, uel cum ſægol: quandoque ſcilicet per uirgulam makaph, ſequenti dictioni ut encliticа uocula coniũgitur, quemadmodum hîc uidetur. Proinde cum quibuſdam affixis interponit epentheſim uaſholem: dicimus enim, אוֹתִי אוֹתָם & cætera. Quia uerò hæc particula frequens eſt, & uariæ quoq́ue ſignificationis, addam hîc quæ de illa Kimhi in Radicibus annotauit, ubi inquit, הַמִּלָּה הַזֹּאת תּוֹרֶה עַל עֶצֶם הַדָּבָר הַפָּעוּל hoc eſt, particula hæc indicat ſubſtantiam rei patientis: hoc eſt, ſemper eſt index accuſatiui paſſiui, qui poſt uerbũ actiuum ponitur. Geneſeos primo capite, uerſu primo. Interim etiam accuſatiui ſignum eſt, ſignificans ſeipſum, ut habes Exodi quinto cap. uerſu decimonono,

Viderunt

Viderunt exactores filiorũ Iſrael אוֹתָם id eſt ſeipſos: unde paulopòſt ſubdit Kimhi מִלַּת אֶת נוֹפֶלֶת עַל עֶצֶם הַפָּעוּל אוֹ הוּא עַצְמוֹ אוֹ הוּא אַחֵר id eſt, dictio אֶת cadit in ſubſtantiam paſſiuam, ſiue ſit ipſamet (id eſt quæ ſibi ipſi paſſionem infert, ſeu quæ actiua paſſiua ſimul eſt, ut quum dico, Video meipſum, & cætera) ſiue alia. Hæc ille. Quemadmodũ ſi dico, Deus creauit ipſum cœlum. ubi aliud eſt agens, aliud quod patitur. Ponitur autem hæc particula pro præpoſitione, è, ex, de, à, ab. Geneſ. xlix, A Deo omnipotente, &c. item ibidẽ xliiij. Ipſi urbem egreſſi ſunt, id eſt, ex urbe, &c. item pro prępoſitione ad, ut Leuit. xiij. 1 Sam. xxx. Acceſſit Dauid ad populũ, &c. item pro ſeruili litera lamed ponitur Deuter. xxvi. & pro beth ſeruili Ioſ. xxij. ſæpenumero uerò pro præpoſitione עִם id eſt Cum, ponitur, Geneſeos

cap.xxxvij. Paſcebat cum fratribus ſuis. Pſal.lxxviij.Non fidelis fuit cum deo ſpiritus eius, Exodi primo, uerſu primo &c. Et annotat rabbi Kimhi porrò hanc particulam, quum fuerit huius ſignificationis poſtremæ & cum affixis coniuncta, ipſum thaf dageſſare. Geneſ. xvij. Ceſſauit loqui אִתּוֹ id eſt, cum illo. Quamuis interim etiã in hac ſignificatione habeat cum affixis epentheſim uaf holem, ut Ioſ. cap.xiiij. Hierem. xix. & cætera. Atque hæc de hac uocula.

Poſtrema dictio huius comprehenſionis in fine habet iod affixum primæ perſonæ maſc.ſing. עָנְיִ uerò nomen eſt, afflictio, à radice ענה id eſt, afflixit.

LXVII כִּי הִגְדִּיל אוֹיֵב De priori particula ſigno trigeſimooctauo diximus.

Altera uox præteritum eſt hiphil, à radice גָּדַל magnus fuit. Senſus eſt, Magnificauit

ficauit hoſtis. hoc eſt, iactauit ſe quaſi ſua uirtute hoc factum eſſet. Vnde Hieronymus habet, Erectus eſt.

Poſtrema uox, nomen eſt, ſeu participium præſens, à uerbo אָיַב de quo ſuprà numero uigeſimoſecundo.

Verſus decimus.

LXVIII יָדוֹ פָּרַשׂ צָר Prima uox in fine uaf affixum maſcul. ſingul. habet. Nomen eſt, ſignificat manum.

Altera dictio, radix eſt ſignificans extendere.

Poſtrema uox, trigeſimoſexto numero explicata eſt, & habet hîc kametz loco paſſach, propter ſakeph accentum diſtinguentem.

LXIX עַל כָּל מַחֲמַדֶּיהָ Priores duæ uocales ſuprà explicatæ ſunt.

Poſtrema dictio habet in fine affixum fœmininum ſingul. Nomen eſt plurale.

De no

De nominibus pluralibus cum hoc affixo, ſuprà ſemel atque iterum dictum eſt. Porrò nomen ſic ſe habet, מַחֲמַדִּים in ſingulari מַחֲמָד Mem eſt figuratiua uerbalium, deſcendit enim à uerbo חָמַד id eſt deſiderauit.

LXX כִּי רָאֲתָה גוֹיִם De prima uoce iam dictum eſt.

Secunda, eſt præteritum kal fœminin. ſingul. tertiæ perſonæ, à radice רָאָה uidit. Verba enim quinti ordinis in he deſinentia, in tertia perſona fœminina ſingularis præteriti, per omnes coniugationes mutant he literam in thaſ.

De poſtrema dictione, ſuprà numero nono dictum eſt.

LXXI בָּאוּ מִקְדָּשָׁהּ Prior uox, præteriti eſt kal tertiæ perſonæ pluralis numeri, communis generis. Venit à radice בוֹא id eſt, ingreſſus eſt.

In altera

In altera dictione, he in fine affixum fœminin. singularis constituit. Habet enim in se mappik præcedente kametz. Porrò nomen est uerbale מִקְדָּשׁ (docente id litera mem figuratiua uerbalium) hoc est, sanctuarium, à radice קָדַשׁ sanctus fuit.

LXXII אֲשֶׁר צִוִּיתָה De prima uoce diximus numero quinquagesimoprimo.

In altera uoce, he in fine est affixio generis fœminini, ut suprà. Verbum est secundæ personæ præteriti secundæ coniugationis actiuæ. Thema est צִוָּה id est, præcepit. De hac re lege Deuter. xxiij. de Ammonitis inquam & Moabitis, qui ex lege Domini prohibebãtur ingredi congregationem populi dei.

LXXIII לֹא יָבֹאוּ בַקָּהָל לָךְ De prima uocula diximus uersu quinto.

Secunda futuri est, tertiæ personæ pluralis numeri, mascul. coniugationis kal, à radice

radice בּוֹא Verba enim quarti ordinis, in futuro literas figuratiuas ſignant cum puncto kametz.

In tertia dictione, beth ab initio ſeruilis litera includit he demonſtratiuum, cuius punctatio eſt paſſach ſequente dages. קָהָל uerò nomen eſt uerbale, ſignificans cõgregationem, mutatis punctis, deſcendens à radice קָהַל id eſt, congregare.

Poſtrema dictiuncula pronomen eſt datiui caſus ſingularis maſculini. Eſtq; in illa punctatio inuerſa propter finem periodi. Regulariter enim ita punctanda erat, לְךָ Notabis inſuper figuratam hîc cõſtructionem, ſeu potius Hebraiſmum, Non uenient in cõgregatione tibi; id eſt, tua. & cætera.

Verſus undecimus.

LXXIIII כָּל עַמָּהּ נֶאֱנָחִים De priore particula, ſigno decimoſexto habetur.

Alteram uocem ſuprà numero ſexto explicaui: niſi quòd hîc addendum eſt dages in mem, repræſentans defectum alterius mem. Radix eius nanque eſt עָמַם duplicata ſcilicet mem litera.

Poſtremam dictionem ſuprà require numero trigeſimotertio. Habet uerò hîc ſub aleph genuinam ſuam pūctationem. In altero uerò quod ſuprà numero trigeſimotertio habes, aleph contra naturam ſuam purum habet ſcheua. Conſtructionem proinde hîc animaduerte figuratā: coniungitur enim nomini collectiuo ſingulari plurale aliud, ut etiam apud Latinos, Pars in fruſta ſecant. & cætera.

LXXV מְבַקְשִׁים לָהֶם Prima uox participium eſt plurale maſc. in piel, id quod punctatio arguit: niſi quòd dages mediæ radicalis literæ excidit: quemadmodum enim euphoniæ gratia dages ſæpe apponitur

nitur dictionibus, ita uicissim eãdem ob causam sæpe deficit. Radix est בִּקֵּשׁ id est, postulauit.

Altera uox plerunque pro pane expo nitur à Latino interprete. Verùm tradit Kimhi de hac uoce, כָּל לֶחֶם כְּלָל לְכָל מַאֲכָל hoc est, Vox Lechem genus est omnium ciborum, tribuitur uerò pani, eo quòd panis (eodem Kimhi teste) præcipuus sit cibus hominis. Exempla passim extant. Pro carnibus etiam sæpe ponitur, ut habes Leuit. iij. Numer. xxviij. &c.

LXXVI נָתְנוּ מַחֲמַדֵּיהֶם בְּאֹכֶל Prior uox tertiæ personæ est pluralis præteriti kal, à radice נָתַן id est, dedit.

Alteram uocem habes suprâ numero sexagesimonono: nisi quòd hîc habet aliud affixum, nimirum plurale masculinũ. Iod uerò ante se habet zere, quia abiectũ est mem alterum, signum pluralis nume-

ri,ut moris eſt maſculinis pluralibus.

Poſtrema dictio,nomen eſt uerbale à radice אֲכַל id eſt,comedit. Beth litera ab initio ſeruilis eſt,habetq́ genuinum punctum ſcheua. Significatio eius eſt,pro.

LXXVII לְהָשִׁיב נֶפֶשׁ Prior dictio infinitiuus eſt tertiæ coniugationis actiuæ,à radice שׁוּב id eſt,reuerſus eſt:inde hiphil הֵשִׁיב id eſt, conuertit, reduxit. Lamed,eſt de bachlam literis formatiuis infinitiui,he cum kametz & iod figuratiuo ſunt coniugationis hiphil.

Altera dictio,nomen eſt נֶפֶשׁ hoc eſt, anima:quandoq; pro toto homine conſtāte anima & corpore,accipitur:aliquando pro anima ſola:interim etiam pro corpore tantùm, &c. Porrò , alterum ſægol hîc conuerſum eſt in kametz,propter accentum athnachta,qui unus eſt ex diſtinguētibus. Notabis autem ſimul hîc phra

ſim

ſim Hebraicam, Facere reuerti, uel reducere animam: pro inſtaurare, reficere uires: fame nimia deficiunt, cibo uerò & potu ſuſtentantur ac reſtituuntur. Hieronymus commodè hoc expreſſit, dicens, Ad refocillandam animam. Germanicè dicitur, Erquicken.

LXXVIII רְאֵה יְהוָה וְהַבִּיטָה De priori uoce diximus ſigno ſexageſimoſexto.

Poſterior uerò, primùm ab initio Vaf copulatiuum habet cum ſuo uero pũcto ſcheua, deinde à calce habet he paragogicum. Eſt autem imperatiuus hiphil, à radice נבט & in tertia coniugatione abiecto nun, & loco eius dages in ſequentem literam poſito pro more uerborũ ſecundi ordinis (quæ propterea defectiua in pe nun dicũtur, quod nun abiectum per dages repræſentent) הַבִּיט id eſt, intueri, proſpicere, prouidere, &c.

LXXIX כִּי הָיִיתִי זוֹלֵלָה Altera uox præteritum eſt primæ perſonæ ſingulare à radice הָיָה id eſt, fuit: cuius rationem perſcripſimus numero trigeſimoſexto.

Poſtrema dictio, nomen eſt generis fœminini, à maſculino זוֹלֵל de quo ita ſcribit Kimhi עִנְיַן קַלּוּת וּבִזָּיוֹן hoc eſt, ſignificat uilitatem & cõtemptum. quaſi dicat, Spreta ſum ab omnibus, uilis ſum, &c.

Verſus duodecimus.

LXXX לוֹא אֲלֵיכֶם Prior particula, negatiua eſt, iam antè explicata, niſi quòd hîc præter cõſuetudinem ſuam habet holem plenum, hoc eſt, cum uaf.

Alia dictio habet affixum plurale maſculinum ſecũdæ perſonæ. Iod præcedente zere eſt epentheſis. Particulæ enim indeclinabiles quum affixa recipiũt, ſolent pleræque imitari formam maſculinorum pluralium, quæ affixa recipientia mem

abijciunt

abijciunt,& iod retinēt,ac ante illam uel zere,uel ſægol, uel aliquid tale ponunt.

Porrò אֶל eſt radix ſignificans Ad. Vſurpatur uerò & pro Super.ut 1 Sam. xvij. & pro præpoſitione Cum, Leuit. xviij.& 11 Samu.xviij.& pro litera beth, quæ ſignificat In,ut 1 Samuel.x. Geneſis xxiij.Et pro articulo אֶת ut Pſal.ij.Hier. cap.x.Et pro propter,uel pro.Geneſ.xx. Subaudienda autem ſunt hîc quædam, ſimpliciter enim ſic ſonat. Non ad uos, quaſi dicat,ne cōtingat uobis quod mihi contigit,ut ſit forma deprecantis malum alterius. Hieronymus tranſtulit,O uos omnes:neſcio quid ſequutus,quum uerba longè aliud doceant.Non deſunt qui ſic interpretentur,Non uobis graue ſit, me audire enumerantem calamitates meas.quibus Chaldæus paraphraſtes Ionathan ſuffragari uidetur,qui ita tranſtulit

initium huius uerſus, אַשְׁבַּעִית לְכוֹן כָּל דְּעָבְרִין בְּאוֹרְחָא זוּרוּ חֲבַת אִסְתַּכְּלוּ וַחֲזוּ וגו׳ Hoc eſt, Adiuro uos omnes qui tranſitis uiam, declinate huc, perſpicite & uidete, &c. Sequatur quiſqꝫ quod uerò ſimilius eſſe iudicauerit, prior tamen interpretatio planior eſt. Sed quò prolapſus ſum? Non enim ago interpretem, ſed grammaticum in hoc libro, quamuis proprietas ſermonis & figuræ dictionis, non minus ad Grammaticum pertineat.

LXXXI כָּל עֹבְרֵי דֶרֶךְ׃ De priori particula iam dictum eſt.

Altera dictio, pluralis eſt numeri participij præſentis coniugationis kal. Eſtqꝫ hîc in conſtructione: abiecit enim mem, alterum ſignum plurale, & retenta litera iod, præcedens elementũ cum zere punctauit, pro more omnium maſculinorum pluralium. Radix eſt עָבַר tranſiuit.

Poſtrema

Poſtrema dictio, nomen eſt ſex punctorum (ut uocant Grammatici) à radice דָּרָה de qua numero trigeſimo.

LXXXII הֲבִיטוּ וּרְאוּ Prior uox eſt imperatiuus pluralis hiphil, cuius ſingulare ſuprà numero ſeptuageſimooctauo habes, ubi & radicem inuenies.

Alterum uerbum ſimiliter eſt imperatiuus pluralis kal, cuius ſingularem & radicem quoq; uide numero lxvi. Porrò uaſ, ab initio eſt copulatiuum, mutauitq; ſuum ſcheua in ſchureck, propter alterū ſcheua, ne ſcilicet duo ſcheuaim ab initio dictionis concurrerent.

LXXXIII אִם יֵשׁ מַכְאוֹב כְּמַכְאֹבִי Prior dictio eſt indeclinabilis & uariȩ ſignificationis, quam breuiter annotabo ex Kimhi, qui de illa primò ita ſcribit, הַמִּלָּה הַזֹּאת תִּהְיֶה בְּרוֹב הַמְּקוֹמוֹת לְתְנַאי id eſt, hæc particula pleriſq; in locis eſt conditiona-

lis: ualet idem quod Si. Genes. xxxiiij. Leuit. iij. Num. xxxij. Secundò addit Kimhi וְיֵשׁ לִשְׁאֵלָה hoc est, hæc particula inseruit interrogationi. Exo. decimoseptimo, Iudic. nono. Tertiò, sequitur וְיֵשׁ בְּעִנְיַן לוּ hoc est, Hæc particula significat quoque Etiamsi. Abdiæ 1. Num. uigesimotertio, Hier. decimoquinto. Quartò subdit וְיֵשׁ בִּמְקוֹם כַּאֲשֶׁר id est, ponitur etiam loco aduerbij Quando, Iud. uigesimoprimo, Leuitici secundo. Quintò, sequitur וְיֵשׁ שֶׁהוּא כְּמוֹ אֱמֶת hoc est, significat aliquando ueritatem, seu affirmationem, ac asseuerationem, Prouerb. iij. Geneseos xlvij capite, Esa. quarto, Prouerb. uigesimotertio, Psal. lxiij. Vltimò sequitur, וְיֵשׁ בְּעִנְיַן שְׁבוּעָה כְּאָדָם שֶׁאוֹמֵר יִהְיֶה כָּךְ וְכָךְ אִם אֶעֱשֶׂה זֶה hoc est, Significat etiam iuramentum, quemadmodum dicit aliquis, Sit hoc uel illud, si fecero hoc, &c. Psal. octogesimo

nono

nono & nonagesimoquinto, & cætera. Atque hæc hactenus.

Altera particula, uerbum est substantiuum omnis generis, numeri & personæ, iuxta sibi apposita uel nomina, uel affixa: neque quicquam præter hanc uocem in hoc uerbo extat. Aliquando habet zere, aliquando sægol, quum scilicet est encliticα uocula, uel quum post se habet affixũ. Radicem habet יֵשָׁה ut inquit Kimhi.

Tertia dictio, nomen est uerbale (arguente id mem) à radice כָּאַב doluit.

In postrema dictione, quæ cum præcedẽte planè eadem est, caph ab initio cum genuino suo pũcto, similitudinis est: iod in fine affixum primæ personæ singularis communis generis.

LXXXIIII אֲשֶׁר עוֹלַל לִי De priori particula, iam antè dictum est.

At secunda uox, secundum Kimhi, quidem

dem eſt præteritum actiuum ſeu tranſitiuum cõiugationis quadratæ (de qua nos Domino uolente, ſuo loco diſſeremus) à radice עָלַל Verùm ſecundum alios, inter quos & rabbi Salomo & Aben Eſra, eſt paſſiuum ſecundę coniugationis. Duplex ergo hîc reſultat interpretatio. Prima, Quem fecit mihi, ſubaudi Deus. Altera, Qui factus eſt mihi, &c. לִי uerò pronomen eſt datiuum ſing. comm.

LXXXV אֲשֶׁר הוֹגָה יְהוָה Media uox (nam reliquæ duæ explicatæ ſunt) præteritum eſt hiphil, tertiæ perſonæ ſingularis maſc. Radix eius eſt יָגָה Verba enim tertĳ ordinis, in hiphil mutant primam radicalem iod in uaf holem, quemadmodum hîc uides.

LXXXVI בְּיוֹם חֲרוֹן אַפּוֹ In priori uoce beth cum genuino puncto ſcheua, præpoſitio eſt In, uox uerò nomen eſt primi-

tiuum

tiuum ſignificans Diem, quamuis ſæpenumero pro tempore accipiatur in ſacris Literis.

Altera uox, nomen eſt uerbale (denotante id nun in fine, quæ una eſt ex figuratiuis uerbalium nominum) à radice חרה quam radicem ita definit Kimhi in ſuo dictionario ענין הכל הכעס ועיקר הענין חם חמימות כי מרוב החמימות יכעוס האדם : hoc eſt, ſignificatio eius eſt ira, fundamentum uerò huius ſignificationis eſt calor, quoniam propter nimium calorem iraſcitur homo. Hæc ille.

Poſtrema uox, in fine habet affixū maſculinum ſingul. tertiæ perſonæ. De hac uerò radice quid dicat Kimhi, aſcribendum duxi. Sunt autem hæc eius uerba,
את לחם ולא יריחהו הביאור רבי יונה באות חש
השרש והנכון שהוא משרש אנה כמו שב
שכתבתי והוא החוטם ועקרו אנה וחבורו ל
לבנייום

לבנויים יוכיח שידגש לחסרון חנון ויפח באפיו משפטו באנפיו והוא מגזרת אנפת בי ולפי שיתראה הכעס בחוטם יקרא את: Hoc est, Nasus eis, & non olfacient. Psalmo CXV. Adduxit hanc uocem (את scilicet) rabbi Iona ad hanc radicem. Rectius tamen ad radicem אנת transferetur, ut scripsi. Porrò significatio eius est Nasus, & fundamentum suum habet in radice אנת quod coniūctio eius cum affixis euincit, ubi dagessatur (pe scilicet) ad denotandum defectum literæ nun, ut habes Gen. secūdo, Et insufflauit באפיו id est, in naribus eius: ubi dicendum fuerat באנפיו descenditque ab illa radice quæ habetur Esa. duodecimo, אנפת בי iratus es mihi, quia uerò in naso apparet ira, ideo hoc illi nomen est את Hæc ille.

Versus decimustertius.

LXXXVII ממרום שלח אש In priori

uoce

uoce mem à fronte, præpositionis è uel ex, officio fungitur: de cuius punctatione quum in his Meditationibus, tum uerò in secundo Libro, in officio ipsius mem disseruimus. מָרוֹם nomen est uerbale, id quod testatur mem, una ex figuratiuis literis uerbalium, à radice רוּם altus fuit.

Altera dictio, est ipsa radix.

Similiter & tertia uox radix est, nomē scilicet primitiuum, ignem significans. Quæ has sequitur dictio בְּעַצְמֹתַי scilicet à fronte beth seruile, cum genuino suo puncto scheua habet, quod significat In, nomen est plurale fœmininum à singulari עֶצֶם id est, os. Iod in fine est affixum singularis numeri, primæ personæ.

Notandaq; est regula,

Iod affixum quum subiungitur nomini singulari, tunc ante se habet hireck: quando uerò nomini plurali subijcitur,

tunc

tũc ante ſe habet uel paſſach uel kametz. Exempla ſunt paſſim obuia.

LXXXVIII וירדנה Vaf ab initio eſt conuerſiua particula: habet enim paſſach ſequẽte dages. Eſt autem futurum tertiæ perſonæ kal, à רדה dominatus eſt.

Altera particula quæ dictionem claudit, eſt fœminini ſing. affixum, quod alij ad ignem referunt. Sic enim ſcribit Kimhi in Dictionario, hanc uocem exponẽs, וירדה בה בעצם id eſt, & dominatur per eum ſcilicet ignem in oſſibus. Hæc ille. Quid uerò rabbi Salomo de hoc loco ſentiat, non grauabor aſcribere: qui tametſi plurimos locos ſcripturæ ſuis interpretationibus obſcurarit, non tamen ubiq; delirat: ſunt autem hæc uerba, וירדה אותה וישבר אותה ברדוי ויסורין לבה חנון הדגושה לפותרו בלשון יחידית כמו ויעשנה יכוננה יעננה שהעצם לשון נקבה כמו והאש אומר העצמות

העצמות היבשות שיבר כל אחת ואחת: hoc eſt, Dominatus eſt illi, & confregit illud potenter & magnis plagis (ut ſcilicet ad oſſa referatur relatiuum נָה) Et propterea nun eſt dageſſatum ad oſtendendum illud eſſe ſingulare fœmininum affixum (nam נָה ſine dages in nun, affixū eſt plurale fœmininum) uti etiam uidere eſt in his dictionibus, faciet eam, depaſcit eam, paſcet eam (quod uerò hoc affixum ad עֶצֶם referēdum ſit, inde patet) quod hoc nomē ſit fœminini generis, ut dicitur Heſekielis trigeſimoſeptimo, Oſſa hæc arida. (interpretandus eſt ergo hic locus) cōfregit quodlibet os (affixum enim ſingulare eſt: nomen uerò ad quod refertur, plurale eſt: ideo exponendum eſt, Immiſit de excelſo ignem in oſſa mea, & dominatus eſt, uel confregit illud, ſcilicet unūquodq; ex illis oſſibus.) Hactenus expoſi

 tio ipſius

tio ipſius rabbi Salomonis, quæ uerò parentheſi, in hac interpretatione incluſa ſunt, ea à me ſunt addita, ut melius intelligatur quæ rabbi alioqui ſuccinctus & obſcurus commentatur. Sæpe enim quum aliis, tum uerò præcipuè huic Thalmudiſtæ, uſu uenit quod Poeta dixit,

Obſcurus fio, dum breuis eſſe laboro.

Sed de his ſatis.

LXXXIX פָּרַשׂ רֶשֶׁת לְרַגְלַי Prima uox ipſa eſt radix, ſignificans Extendit.

Secũda item ipſum eſt thema, nomen nimirum primitiuum ſex punctorum, ut uocant Grammatici, hoc eſt, cõſtans duobus ſægolin, ſignificat Rete.

In tertia, lamed ab initio cum genuino ſuo pũc͂to ſcheua, datiui eſt articulus. Iod in fine affixum eſt ſing. primæ perſonæ, nomen uerò eſt plurale. Excidit uerò iod quod ad pluralem pertinebat numerũ:

nam ſic erat integrè ſcribendum לְרַגְלָיו ſed euphonię cauſa abiecta eſt, & paſſach illam refert. Porrò ſingulare eſt רֶגֶל nomen ſignificans pedem, fœminini gen.

X C הֱשִׁיבַנִי אָחוֹר Syllaba נִי in fine primæ dictionis affixum eſt primæ perſonæ ſing. idem quod iod, niſi quòd hoc נִי ſcilicet uerbis frequẽter affigitur. Illud uerò nominibus ſæpius adhæret. Radix eſt uerbi שׁוּב reuerſus eſt. Inde in tertia coniugatione הֵשִׁיב conuertit, fecit reuerti. Eſt autem hîc zere in ſegol mixtum conuerſum propter affixum.

Altera particula, aduerbium eſt ſignificans Retrorſum, à radice אָחַר Notabis præterea phraſim Hebraicam hoc loco. Ad uerbum enim ſic ſonat, Fecit reuerti me retrorſum. hoc eſt (ut quidam tranſtulerunt) ſupinum dedit me retrorſum: quaſi diceret, grauiſſimo caſu me afflixit:

ſupini enim retrorſum cadentes, maximè incauti, & ab aliĳs fortiter ac repentè impulſi, magno ſũt periculo expoſiti. Thargum hanc clauſulam ita trãſtulit, אַחְזִיעַנִי קְדָל בַּעֲלֵי דְבָבִי hoc eſt, fecit me obuertere dorſum coram inimicis meis. Quod quidem eſt fugientium, & uim hoſtium nequaq̃ ſuſtinere ualentium. Hactenus ille.

XCI נְתָנַנִי שֹׁמֵמָה In prima uoce, נִי eſt affixum ſingul. primæ perſonæ, ut ſuprà. Eſtq; uerbũ præteriti kal, ipſum thema, נָתַן id eſt, dedit. quamuis hîc primũ kametz in ſcheua, & paſſach in kametz, propter affixum ſit commutatum.

Altera dictio, nomen eſt adiectiuum fœmininum, denotante id he. In maſculino שֹׁמֵם à radice שָׁמַם id eſt, deuaſtauit: retinet uerò hîc zere tum propter accentum diſtinguentẽ, ut ſigno trigeſimo ſecundo diximus; quum etiam quia Kimhi in

hi, in Dictionario ſuo, omnia nomina huius formæ, hoc eſt, hoc ipſum nomen adiectiuum ubiq; locorum, quos ibi citat, ſuum zere ſub מֵ retinere, annotat: quod hîc quoquè referre nobis placuit. Porrò dedit, pro reddidit, hîc eſt poſitum.

XCII כָּל הַיּוֹם דָּוָה De prima particula iam antea dictum eſt.

In ſecũda dictione, ab initio he demonſtratiuum eſt, id quod teſtatur paſſach ſequente dages. Porrò hoc ipſum nomen radix eſt, ſignificat diem: & in ſacris literis ſæpe pro tempore accipitur, necnon & pro anno, maximè uerò in plurali numero, Geneſ. uigeſimo quarto, Num. nono, Leuit. uigeſimo quinto.

Poſtrema dictio generis fœminini nomen ſignificat egrotam, mœrentem, infirmam, in maſc. habet דָּוֶה infirmus. Videtur uerò hîc ad menſtruam infirmitatem

reſpicere Propheta, qua re ferè nihil dete ſtabilius inter Iehudæos erat, quo ſcilicet contemptum ſui & ignominia ſatis de. claret.

Verſus decimuſquartus.

XCIII נִשְׂקַד עֹל פְּשָׁעַי בְּיָדוֹ Prima di ctio præteritum eſt coniugationis paſſi, uæ niphal, docente id litera nun. radix eſt שָׂקַד cuius ſignificatio uariè exponi. tur ab interpretibus. Aben Eſra exponit נִמְשָׁה id eſt, protractum: quaſi dicat, Iu. gum meorum ſcelerum manu illius trahi tur, addit inſuper hoc uerbum in hac ſi. gnificatione in Biblijs, nec matrem, nec patrem habere: hoc eſt, nuſquam aliâs ex tare. Rabi Salomo exponit, peccatorum meorum iugum punctatum eſt in manu eius: quaſi dicat, Deus peccata mea qui, buſdam notis in manu ſua deſignauit, ut ſcilicet illorum recordetur. Kimhi in Di- ctionario

ctionario ſuo interpretatur, Ligatum eſt uel coniunctum eſt iugum, &c. in manu eius, quia ſcilicet deprimat & aggrauet illud: nam & Chaldæus paraphraſtes ita habet אִתְיְקַר hoc eſt, aggrauatũ eſt onus uel iugum peccatorum meorum. Hieronymus trãſtulit, Vigilauit iugum, actiuè: quum tamen hîc ſit uerbum paſsiuum. quid ſequutus ſit, ipſe uiderit.

Altera uox, nomen eſt, Iugum ſignificans: & metaphoricè, ſeruitutem. Geneſ. uigeſimoſeptimo, 1 Reg. duodecimo radix eſt עַלַל Quieſcit autem hîc uaf ſub holem: nam aliâs ita ſcribitur עוֹל Deuteronom. uigeſimooctauo, &c.

Tertia dictio, pluralis eſt numeri cum affixo iod: tametſi utrunque ſignum, iod & mem ſit abiectum. Ita enim fieri conſueuit, ut nomina pluralia maſculina cum reliquis affixis, mem tantùm abijciant: cum

affixo uerò primæ personæ, etiam iod eu phoniæ causa deponant, ne scilicet duo iod concurrant, & tunc loco illius abiecti iod ponunt passach uel kametz: quo nomine differt à singulari nomine: nam si affixum iod singularibus nominibus annectitur, tunc ante se habet hireck tantùm. Proinde quæ sit huius uoculæ singularis forma, & radix suprâ numero trigesimo nono explicauimus. Sed quia Kimhi, peccati (quod uariis uocabulis apud Hebræos enunciatur) elegantem differētiam in Dictionario suo tradit, non grauabor eā in gratiam Studiosorum, Hebraicè huc annotare: præsertim quū ea res, in Theologia quoq;, necessaria sit cognitu. Scribit ergo sic, ענין הפשע הוא המרד ויצאת מרשות האדון או המצוה אותו על הדבר: וכן אמרו רז"ל עונות אלו הזדונות וכן הוא אומר הכרת תכרת הנפש ההיא עונה בה: פשעים אלו

אלו המורדים וכן הוא אומר מלך מואב פשע
בי ׃ אז תפשע לבנה בעת ההיא ׃ חטאים אלו
השגגות וכן הוא אומר נפש כי תחטא בשגגה ׃
וכן מה שנאמר בענין הפקדון על כל דבר פשע
וכל פשע בפקדון שלא שמרו כראוי השומרים
את על פי שאין כאן מורד ואינו מאבדו בידים
נקרא פושע כי אחר שאינו נותן עיניו ולבו
בשמירתו בפקדון אשר הפקד אתו כאילו הוא
מורד במפקיד אצלו ויוצא מתחת יד מצותו
שציוהו לשמור הדבר וקבל עליו לשמרו ולא
שמרו ׃ Quorum uerborum hæc eſt interpretatio. Significatio huius uocis eſt rebellio & ſubductio à poteſtate Domini, ſeu præcipientis alicuius ſuper re aliqua. Etenim ſic dixerunt ſapientes noſtri piæ memoriæ עוונות peccata ſunt præſumptuoſa ſeu ſuperba: uti dicitur Num. cap. xv, Excindendo excindetur anima illa, manebitq; iniquitas eius ſuper eam. פשעים uero rebelliones ſunt, ſecundum

 illud

illud II Regũ III, Rex Moab rebellauit mihi. Item ibidem cap. VIII, Tunc rebellauit Libna in tempore illo. חֲטָאִים sunt peccata ex ignorantia & errore profecta, uti habes Num. XV, Anima si peccauerit per ignorantiam, &c. Similiter quod dicitur Exo. XXII (ubi de deposito est sermo) Super omni negocio פֶּשַׁע id est, transgressionis. ubi subaudiēdum est (in deposito) quod scilicet non custodierit, uti custodire conueniebat: tametsi enim hîc non adsit manifesta rebellio, neq; hic (qui depositum accepit) illud manu sua perdiderit, appellatur tamē rebellis: postquàm enim non diligenter curauit custodire depositum, quod sibi concreditum fuerat, non alius censetur, quàm is qui rebellis existat deponenti apud se, & egreditur è potestate illius, qui ei præceperat rem aliquam custodire: quod & recepe-

rat se custodire uelle, quum tamen minimè id præstiterit. Hæc ille. In summa, ut habeas breuibus horum peccati uocabulorum gradus & differentias, paucis ea oculis subijciam. Principium peccati dicitur Hebraica lingua יֵצֶר הָרַע id est, figmentum malum. Ea est originalis illa lues, qua totum humanum genus, infestum est, quod non tantùm senioribus & proiectioribus inhæret: uerùm etiam in pueris & infantibus reperitur, testante id morte, quæ est peccati stipendium, propter quod & in mundum uenit, & non minus in paruulis dominatur, quàm in alijs mortalibus. Quod uerò in paruulis sit hoc originale malum, nõ solùm mors illorum nos docet, sed etiam scripturarũ in multis alijs, tum uerò duobus clarissimis in locis. Genes. VIII, Psalmo LI. &c. Ex hoc itaq; fomite pessimo, omnis gene

ris

ris peccata oriuntur, quæ apud Hebręos dicuntur עֲבֵירוֹת id eſt, tranſgreſſiones. quorum differentiam Moſes Num. xv, cap. & Dauid Pſal. xix, oſtendunt: quæ ita ſe habet,

Primò, à radice כָּתַר uenit נִכְתָּרוֹת id eſt, occulta, quæ dum committuntur, neſciũtur eſſe peccata, cuiuſmodi in ſanctis multa fiunt.

Secundò, à radice שָׁגַה uenit שְׁגָגוֹת Et à חָטָא uenit חֲטָאִים Et à אָשַׁם uenit אֲשָׁמִים ſignificantia Peccata cõmiſſa per ignorantiam, quæ aliâs dicuntur Errata, & lapſus.

Tertiò, à radice עָוָה uenit עֲוֹנוֹת Et זָרַה uenit זְדוֹנוֹת ſonantia Peccata ſunt ſuperba, quæ ſcientes & prudentes perpetramus.

Quartò, à radice פָּשַׁע uenit פְּשָׁעִים Et à מָרַר uenit מְרָדִים Et à רָשַׁע uenit

nit רִשְׁעוֹת denotantia Peccata ſunt omnium peſſima, quum planè à Deo & uerbo illius ad mundum deficiūt homines.

Hęc eo fuſiùs explicare uolui, ut oſtendam, in Lingua ſancta nihil prius eſſe uocabulorū proprietate, quæ ex rerum circunſtantijs, quæ in ſacris Literis deſcribuntur, æſtimanda eſt. Sed de his ſatis.

Poſtrema uox (quam ſigno LII explicauimus) ab initio beth ſeruile cum genuino puncto ſcheua, habet: & à calce, affixum maſc. ſingul. tertiæ perſonæ.

XCIIII יִשְׂתָּרְגוּ עָלוּ עַל צַוָּארִי Prior uox, futurum eſt plurale quartæ coniugationis, uerbum deriuatū à nomine שָׂרִיג id eſt, palmes. Geneſ. XL. Proinde thaf figuratiua cōiugationis trāſpoſita eſt poſt primam radicalem: qua de re uide ſuprà libro primo, capite uigeſimoprimo, ſub finem. Chaldæus paraphraſtes ita explicat

cat hanc uocem, אשתרשר כשבשין דגופנא id est, Inuolutæ seu implexæ sunt (scilicet preuaricatiões meæ) sicut palmites uitis.

Secunda dictio, præteritum est plurale tertiæ personæ coniugationis kal, à radice עָלָה id est, ascendit. A qua sequens quoqꝫ uocula (quam & signo XVI declarauimus) deriuatur.

In postrema uoce, iod in fine affixum est primę personæ. radix eius est צור De aleph uerò quod hîc est interpositum, ita meminit rabbi Dauid Kimhi in Dictionario suo, ונכתבת בהם האלף למשך id est, Et scribitur litera aleph in illis, protractionis gratia, id est, propter longum punctum. Solent enim literæ אהוי uel actu, uel potentia, post longas motiones consequi: quemadmodū post breues uocales, dages frequenter ponitur. Quandoqꝫ (ut idem Kimhi dicit) excidit illud aleph,

aleph, ut habes Nehem. tertio. Inuenitur ab hoc nomine pluralis numerus Genes. xxxiiij & xlv. propter duo latera, dextrũ scilicet & sinistrum. Habet nonnũquam in plurali sub uaf, schæua. Genes. xlv. Ier. xxvij. nihilominus remanẽte aleph. Canticorũ uerò quarto, in fine quoque nun habet heæmanticum: & Micheæ secundo, fœmininam quoque habet in plurali terminationem.

XCV הִכְשִׁיל כֹּחִי Prior dictio, præteritum est masc. sing. tertiæ personæ coniugationis tertiæ, indicantibus id literis figuratiuis he & iod. Radix est כָּשַׁל impegit. Debet uerò (testante Aben Esra) hîc uerbũ referri ad iugum, cuius suprà meminit.

In secunda uerò, quam signo XLVI declarauimus, iod est affixum primæ personæ, ut iam sæpe dictum est.

XCVI נְתַנֵּנִי אֲדֹנָי De prima uoce, ſigno nonageſimoprimo diximus.

Quod ad ſecundam attinet, radix illius eſt אָדוֹן Dominus: quod quidem nomen, frequentiùs in plurali uſurpatur: propterea quòd nomina dignitatũ apud Hebræos, ferè in plurali numero efferantur: ſicut & hodie apud nos mos obtinuit, ut principes noſtri de ſe in plurali loquantur. Hoc quum in Lingua ſancta, in multis tam prophanis, quàm etiam diuinis nominibus fieri ſoleat: non minus in hac uoce contingit, ut ſcilicet in plurali, maximė cum affixo iod, abiecto altero ſigno plurali, mem ſcilicet, uſurpetur: non ſolum quum eſt prophanum nomen, ſed etiam quum eſt unum ex diuinis: quo loco quadrilitteri nominis, quod ob ſanctitatem apud Iudæos ἀνεκφωνητὸν cenſetur, uti conſueuerunt Iudæi. Hoc tamen intereſt

tereſt diſcriminis, ut ſcilicet quum eſt di-
uinum, habent ante iod kametz: ſi uerò
ſit prophanũ, ante iod erit paſſach: quam
uis non ſemper hoc obſeruetur diſcrimẽ.
In iod uerò huius nominis apud rabinos
cõtrouertitur: alij nanq; uolunt, eſſe illud
de plurali numero, ut in uoce חַלּוֹנַי Ier.
uigeſimoſecundo. alij uerò contendunt,
iod illud eſſe denominatiuum, ſeu הַיַּחַס
ut illi loquuntur, cuiuſmodi eſt in uoce
וְכִילַי Eſaiæ trigeſimoſecundo. Quam li
tem tametſi dirimere nondum decreue-
rim, tamen propter myſterium libenter
aſſentior priori opinioni, quæ & ueriſi-
milior uidetur.

XCVII בִּידֵי לֹא אוּכַל קוּם Prima uox
in plurali eſt conſtructiuo, à ſingulari יַד
quam uocem ſuprà habes ſigno LII. Beth
ab initio ſeruile eſt, habetq; pro ſcheua hi
reck, hac de cauſa: Quum nanq; quatuor

hæ literæ כבלו quarũ naturale punctum est ſcheua, ad dictionem cuius prima litera iod eſt cum ſcheua, tunc utrũq; ſcheua abijcitur, punctanturq́; hæ literæ cum hirek, quieſcente iod. Vide ſuprà libro ſecundo, capite decimoquarto.

De ſecũda uocula, iampridẽ diximus.

Tertia, futurum eſt ſing. primæ perſonæ, à radice יָכֹל habetq́; in futuro uaf ſchurek, ad differẽtiam radicis אָכַל à qua in futuro aliquando loco aleph primæ radicalis uaf holem ponitur: dicimus enim ab illa אוֹכַל comedam, &c.

Quarta uox, infinitiuus eſt à radice קוּם ſtetit, cõſtitit, permanſit, ſurrexit. Verba enim quarti ordinis in tribus poſterioribus temporibus coniugationis kal mutant ו in י uti aliâs docebimus in ſequentibus libris. Porrò neq; hoc prætereundum eſt, in hac clauſula multas particu-

las

las ſubaudiendas:ſic enim integrè ordi-
nãda eſt בִּידֵי אֲשֶׁר לֹא אוּכַל לָקוּם מִפָּנָיו hoc
eſt, in manibus illius à quo non poſſum
ſurgere. Hieronymus legit, In manum de
qua non potero ſurgere. ac ſi hæc particu
la In manus, non eſſet in conſtructione,
nec etiam pluralis numeri.

Verſus decimusquintus.

XCVIII סִלָּה כָּל אַבִּירַי Prima uox prę
teritum eſt tertiæ perſonæ ſing. maſc. ſe-
cundæ coniugationis, uti demonſtrat da
ges in media radicali, ſignificat cõculcare
De altera particula dictum eſt ſigno
decimooctauo.

Poſtrema uox pluralis eſt numeri cum
affixo iod, præcedente paſſach. de quo ui
de ſigno LXXXVII & XCIII. Radix eſt אָבַר
inde adiectiuum אָבִיר uel אַבִּיר

XCIX אֲדֹנָי בְּקִרְבִּי De priori uoce
iam primùm diximus ſigno XCVI.

In altera, iod in fine affixum eſt. Beth, ab initio cum genuino ſuo puncto ſcheua, præpoſitionem In, ualet: nomē eſt ſex punctorū קֶרֶב idem quod תּוֹךְ medium uel intimum quiddam, Gen. decimooctauo, Amos ſeptimo, ſignificat & inteſtina, eo quòd ferè mediā corporis regionem occupent. Leuitici primo.

C קְרָא עָלַי מוֹעֵד Prima uox ipſa eſt radix ſignificat uocare, clamare, appellare, inuocare, legere, prædicare, accidere, occurrere, &c. uarietas harum ſignificationum pendet ex uaria conſtructione.

Altera particula, ſigno XVI explicata eſt, niſi quòd hîc habet affixū iod, quod ei inſtar nominum pluraliū cum paſſach coniūgitur, quū tamen ſit indeclinabilis.

Poſtrema uox explicata eſt ſigno trigeſimoprimo, niſi quòd hîc congregationē ſignificat. Hieronymus tempus uertit, ſequutus

quutus nimirum Chaldæum paraphra-ſtem, qui habet זְמַן id eſt, tempus.

C I לִשְׁבּוֹר בַּחוּרָי Prima uox infinitiuus kal eſt, à radice שָׁבַר id eſt, fregit.

Altera, nomen eſt formale, ut uocant Hebręi בָּחוּר iuuenis, à radice בָּחַר id eſt elegit: quod adoleſcentes & iuuenes ad res gerendas propter uires tum corporis quũ ingenij adhuc firmas, aptiores ſint. Proin eſt hîc in plurali cum affixo iod, & adeſt kametz loco paſſach, propter athnach accentum diſtinguentem, ut iam antea diximus.

C II גַּת דָּרַךְ אֲדֹנָי לִבְתוּלַת בַּת יְהוּדָה Prima uox huius clauſulæ eſt ipſa radix nomen, torcular ſignificans, quod ſemper (teſte Kimhi) habet & retinet ſuum paſſach. In plurali habet גִּתּוֹת Nehem. XII.

Secunda uox, eſt etiam ipſa radix uerbum, ſignificat concu lcare. Metaphora

 eſt

eſt, qua uult innuere, Dominum Iudę ho ſtes immiſſurum, qui illam occiderent & ſanguinem illorum exprimerent, haud ſe cus atq; uuæ in torculari comprimuntur.

Tertia uox, in proximo uerſu explica. ta eſt.

In quarta (quam explicauimus ſigno trigeſimoquarto) in fine he fœminini no ta, in thaf propter conſtructionem muta tum eſt, pro more fœmininorũ: ab initio lamed articulus datiui ſuum ſcheua in hi rek commutauit, ne ſcilicet duo ſcheuain ab initio concurrerent.

Quintam uocem ſigno XLII require.

Sextam, ſigno uigeſimotertio.

Verſus decimusſextus.

CIII עַל אֵלֶּה אֲנִי בוֹכִיָּה De prima uo cula, iam pridem dictum ſigno XVI.

Secũda uerò particula, pronomen eſt demonſtratiuum ſeparatum omnis gene ris

ris, pluralis tãtùm numeri. Radix eius eſt אֵל cui interdum in fine he accedit paragoge, & tunc ſemper habet dages in lamed, aſciſcitq́ ſibi literas ſeruiles à fronte: uide Gen. XIX & XXVI. Exod. I. Deut. I.

Tertia particula pronomen eſt primæ perſonæ commu. ſing. numeri, quod interdum epentheſin kaph habet, ut dicamus אָנֹכִי id eſt, ego, in plurali numero habet אָנוּ uel אֲנַחְנוּ

Poſtrema uox participium eſt fœmininum kal ſing. à radice בָּכָה id eſt, fleuit. & notabis hîc tertiam radicalẽ he in iod dageſſatum eſſe mutatum, nam he quod hîc uides, ſeruile eſt & fœmin. gen. nota.

CIIII עֵינִי עֵינִי יֹרְדָה מַּיִם Prima uox quæ hîc geminatur, habet in fine iod affixum, cuius radix eſt עַיִן quę tam oculum quàm fontem ſignificat. De hac uerò geminatione quæ Hebræis frequentiſſima

 eſt, ita

eſt, ita annotat rabi Salomo, כְּלוֹמַר תָּמִיד עֵינִי יוֹרֶדֶת מַיִם כֶּפֶל הַלָּשׁוֹן מְלַמֵּד שֶׁאֵין הֵם הֲפוּגוֹת hoc eſt, quaſi dicat, Iugiter oculus meus deſtillat aquas: geminatio uerò uocis docet, nullã eſſe remiſſionẽ. Hæc ille.

Secunda uox participium eſt præſens fœmininum ſing. coniugationis kal, à radice יָרַד deſcendit. Hoc loco uerbum iſthuc bifariàm exponitur: primùm nãq; Chaldæus paraphraſtes ita habet, actiuè ſcilicet uerbum explicans, וְתַרְתֵּין עֵינַי נַגְּרִין דִּמְעֲתָא הֵיךְ מַבּוּעָא דְּמַיָּא hoc eſt, Et duo oculi mei deſtillant lachrymas quemadmodũ ſcaturigo aquarum. Alij uerò neutraliter exponũt, oculus meus deſcendit in aquam: quaſi dicat, conuerſus eſt in lachrymas. Alij uerò particulas quaſdam ſubaudientes ita interpretãtur, Ex oculo meo deſcẽdit aqua. In ſumma, fletum largum ac maximum his uerbis uult innuere pro-

re propheta. Tertia uox nomen eſt nu
meri dualis, propter aquas ſuperiores &
inferiores, inter quas firmamentum diui
dit, ut habes Gen. cap. I. uerſu VII & VIII.
Radicem eius aſſignat Kimhi מָיָה à qua
analogicè dicendũ fuerat מַיָיִם & in con
ſtructione מֵיֵי Sed extrito altero iod di
cimus מַיִם & in conſtructione מֵי Ioſue
tertio, pro quo aliquando מֵימֵי dicitur
Iudic. quarto. & cum affixis, uti infrà ca-
pite quarto uides. quo loco quidam di-
cũt, uocem eſſe geminatam. alij, primum
mem & iod eſſe radicalia, duo uerò poſte
riora eſſe ſeruilia, notas ſcilicet plur. nu.

CV כִּי רָחַק מִמֶּנִּי מְנַחֵם מֵשִׁיב נַפְשִׁי
De prima particula uide ſigno XXXVIII.

Altera uox eſt ipſa radix, quæ elonga-
ri, à longe eſſe, uel ſtare, ſignificat.

Tertia particula, pronomen eſt ſepara
tum ablatiui caſus ſingul. comm. primæ

 perſo

perſonæ. Conſtat ex particula מִן id eſt de, & affixo נִי primæ perſonæ. Porrò mem eſt repetitum, quod & alibi abeſſe uidemus, ut Eſaiæ uigeſimoſecundo.

Quartam uocem ſigno decimoſeptimo explicauimus.

Quinta, participium eſt ſing. maſc. tertię coniugationis, cuius radicem uide numero ſeptuageſimoſeptimo.

Sexta quoq; iam dicto ſigno expoſita eſt, niſi quòd hîc habet in fine affixum primæ perſonæ ſing. propter quod & punctatio aliquantulum eſt immutata.

CVI הָיוּ בָנַי שׁוֹמֵמִים Prima uox trigeſimoſexto ſigno explicata eſt.

Secundæ uocis radicem habes ſupra uigeſimoſecundo ſigno. Eſtq́; hîc plurale cum affixo iod. cur uerò ante ſe habeat paſſach, uide ſigno nonageſimotertio.

Tertia dictio nomen eſt plurale maſcu-

li. de

li. de quo uide ſigno trigeſimoſecundo.

CVII כִּי גָבַר אוֹיֵב De prima particu la uide ſuprà.

Altera uox, eſt ipſa radix ſignificans præualere, &c.

Tertia dictio eſt participium præſens ſing. maſc. kal, de cuius radice uide quæ annotauimus numero uigeſimoſecũdo.

Verſus decimusſeptimus.

CVIII פֵּירְשָׂה צִיּוֹן בְּיָדֶיהָ Prior dictio præteritum eſt fœmininum ſecundę con iugationis actiuæ dageſſatæ: quanquam loco dages quod in gutturali litera locũ minimè habebat, zere ponatur. ſic enim regulariter erat dicendũ פִּרְשָׂה eſt enim æquipollentia inter longum punctum & inter breue, ſequente dages. Radix eſt פָּרַשׂ quod panem frangere ſignificat (ma ximè quum in fine ס habet. Sunt autem ס & ש literæ permutabiles, quum unum & idem

& idem habeant prolationis inſtrumentum) necnon & extendere, expandere. Ab hac uocis duplici ſignificatione, duplex quoquè loci nata eſt interpretatio. quarum prior à Vatablo uiro linguę ſanctæ longè peritiſſimo, adducitur, quæ ſic ſe habet, Fregit Sion manibus ſuis, ſubauditur panem. phraſis Hebraica, quaſi dicat, Ipſa ſibimet fregit panem, quum nullum haberet qui ſibi frãgeret. ſolet enim panis frangi mœrẽtibus. ergo ut indicet neminem fuiſſe qui eam cõſolaretur, hoc dicit. Hæc ille. Quæ interpretatio non ſolùm ex ſequenti particula (non conſolabor illi) & litera ſeruili beth (in uel cum manibus ſuis) comprobatur. Verũetiam Kimhi teſtimonio, qui in Radicibus ita inquit, כי המנהג של מנחמים פורשין לחם לאכל והיא בעצמה פירשה בידיה כי אין מנחם לה hoc eſt, quia conſuetudo eſt conſolan

tium

tium, ut panem frangant lugenti, uerùm ipsa (Zion scilicet) manibus suis frangit, non enim habet consolatorem. Hieronymus uerò & alij interpretãtur, Expandit manus suas. secuti nimirum Chaldæum paraphrasten, qui hunc locum ita transtu lit, פרסת ציון ידהא מן עסתא חיכמא דמפרסא אתתא על מתברא פגינת ולית דממליל תנחומים על לבה hoc est, Expandit Zion manus suas præ tribulatione, quemadmodũ expandit mulier (manus scilicet suas) super sella parturientis, clamatq́ꝫ, nec est qui loquatur consolatoria ad cor eius. Atqꝫ hęc hactenus. Quod attinet ad ultimum uerbum huius hemistichij, scias beth ab initio præpositionem In, uel cum, hîc significare, quamuis superuacaneam eam esse, hoc loco Aben Esra contẽdat. He in fine affixum est singulare fœmininum, ut suprà sæpe uidisti, nomen est plurale, cuius

radicem

radicem & ſignificationẽ uide ſigno LII.

אֵין מְנַחֵם לָהּ Suprà numero decimoſe ptimo explicaui.

CIX צִוָּה יְהוָה לְיַעֲקֹב סְבִיבָיו צָרָיו Prior dictio eſt ipſa radix, uerbum ſcilicet ſecũdæ cõiugationis actiuæ (atteſtante id da ges in media radicali) nec enim in prima inuenitur, ſignificat mandare, pręcipere. In tertia uoce (quæ nomen eſt proprium, deſcendens ab עָקֵב id eſt, planta, eo quòd fratris Eſau plantam in utero matris tenens, illum remorari & præuenire uellet) lamed ab initio cum genuino ſuo puncto ſcheua articulus eſt datiui. Accipitur uerò Iacob pro toto populo Iſraelitico, qui conſtabat decem tribubus, quarum patres originem à Iacobo traxerũt. Quarta uox, nomen eſt plurale cum af fixo uaf: quod quum accedit ad nomina pluralia, ante ſe habet kametz. Ad ſingularia

ſlaria uerò adiunctum, uel habet holem, uel ante ſe hirek, ut אָבִיו id eſt, pater eius, & tum eſt cõſonans. Proinde nomen ſingulare eſt סָבִיב id eſt, circuitus, à radice סָבַב circumdedit.

Poſtremum nomen ſimiliter eſt plurale, cum affixo uaf, de quo uide ſigno trigeſimoſexto. Senſus eſt, mandato conuocauit Dominus cõtra Iacob, ut eſſent in circuitu eius hoſtes eius.

C X הָיְתָה יְרוּשָׁלַם לְנִדָּה בֵּינֵיהֶם De prima uoce diximus ſigno VII & XXXVII.

De ſecũda, etiam habes ſigno quadrageſimo octauo.

Tertia, ab initio lamed articulum habet, nomen eſt fœmininum, à radice נָדַד recedere. Porrò dages in daleth oſtendit alterum daleth excidiſſe, pro more duplicatorum. Variè quocꝫ exponitur hæc uocula: alij enim legunt, Facta eſt ad commotionem

motionem eius. Alij, inter quos & Hieronymus & Thargũ, Facta est Hierusalem, quasi polluta menstruis inter eos. Alij, in abominationem aut separationem inter eos, id est, habita est ut menstruata quę separata est à uiro suo & templo, &c. Hæc enim omnia uox illa significare potest.

In postrema uocula, quam signo uigesimonono explicauimus תֶם in fine affixum est plurale mascul. Iod uerò præcedens illud cum zere, epenthesis est. Indeclinabiles enim particulæ quum affixa recipiunt, formam imitantur pluralium masculinorum, hoc est, interponunt iod prę cedente uel zere, uel kametz, &c. Sed antequàm ad uersum sequentem transeamus, prius interpretationem Chaldæi in hoc hemistichium, quod ita trãstulit ille, Præceperat Dominus domui Iacob, statuta & legem, ut eam custodirent, uerùm illi

illi tranſgreſſi ſunt decreta uerbi illius, propterea circumdederunt circumcirca ipſum Iacobum hoſtes eius, fuit Hieruſalem ſimilis mulieri immundæ inter illos.

Verſus decimusoctauus.

CXI צַדִּיק הוּא יְהוָה Prima nox nomen eſt adiectiuum maſculinū, ſignificat iuſtum, à radice צָדַק iuſtus fuit. Iod poſt daleth figuratiua eſt adiectiuorū, & una ex literis heæmanthicis.

Altera, pronomen eſt maſcul. ſing. tertiæ perſonæ demonſtratiuum: in fœminino habet הִיא ſæpenumero illis he demonſtratiuum præponitur. Leuit. decimoſeptimo, Geneſeos decimo.

De tertia, alibi diximus.

CXII כִּי פִיהוּ מָרִיתִי De prima particula, aliâs dictum eſt.

Altera uox à fine habet affixum tertiæ perſonæ maſcul. ſing. Radix eius eſt פֶּה

Exodi quarto: quę quum poſt ſe regit ca ſum uel affixum, mutat he ſuum in iod, uti hîc uides. Cum affixo iod, ſuum iod abĳcit, euphoniæ gratia, ut Eſaię XLIX, פִּי pro פִּיי Significatio illius eſt uaria, nam & pro conſilio accipitur Ioſ. nono, & pro loquutione ſeu uerbo quod pro‑ cedit ex ore, Ioſue primo, & hoc præſenti loco: uult enim dicere, Verbis oris eius rebellaui. & pro ſuperiori labro ueſtis, qua ſcilicet parte collo coniungitur ue‑ ſtis, Exodi uigeſimo ooo ctauo. Et pro acie gladĳ, atque tunc habet pluralem nume‑ rum maſculinum, & fœmininam quoq; terminationem, eamq́; triplicem. Vide I Samuel. XIII. Iudic. IIII. Prouerb. V. Pſal mo CXLIX. Poſtremò & menſuram ſeu modum ſignificat & numerum ſeu ęqua litatem, Geneſeos XLVII, Exodi XII, Nu‑ mer. ſèptimo, II Regum ſecundo, &c.

Poſtre

Poſtrema uox, præteritum eſt kal primæ perſonæ ſingul. à radice מָרָה id eſt, rebellauit, uerbum quinti ordinis, de quibus lege quę numero trigeſimoſexto ſcripſimus.

CXIII שִׁמְעוּ נָא כָּל עַמִּים Prior uox imperatiuus eſt kal pluralis maſculinus, à radice שָׁמַע id eſt, audiuit.

De ſecũda particula, ita ſcripſit Aben Eſra, כָּל נָא לְשׁוֹן עַתָּה וְעִם תּוֹסֶפֶת אָלֶת לְשׁוֹן בַּקָּשָׁה hoc eſt, Omne Na, ſignificat Nunc. Et ſi habet aleph ab initio appoſitum (ut ſcilicet dicatur אָנָּה quamuis hoc aleph, radicale eſſe ſentiat rabbi Kimhi) deprecantis & obſecrantis eſt nota. Vide exempla Exodi undecimo, & Pſalmo centeſimo decimooctauo, quo in loco utrunque habes uocabulum, in uerſu qui etiam citatus eſt ab Euangeliſtis.

Tertiam, aliâs explicauimus.

Quarta, nomen eſt plurale maſcul. habet dages in mem, ad denotandum defectum alterius mem. Radix enim eius eſt ex duplicatis, quam uide ſigno ſexto.

CXIIII וּרְאוּ מַכְאֹבִי In prima uoce uaf ab initio habet ſchurek, ne ſcilicet duo ſcheuain ab initio cõcurrant: de qua re lege Secundũ noſtrum librum de punctatione uaf copulatiui. Porrò ipſa uox imperatiuus eſt pluralis maſculini. uide ſigno octogeſimoſecundo.

De altera dictione, uide numero octogeſimotertio.

CXV בְּתוּלֹתַי וּבַחוּרַי הָלְכוּ בַשֶּׁבִי Prima uox pluralis eſt numeri, generis fœminini, cuius ſingulare uide numero trigeſimoquarto. Iod affixũ eſt primæ perſonę, habet enim ante ſe paſſach: ſic enim ſolet punctari, quum pluralibus utriuſq; generis coniungitur, uti quoq; in ſequenti nomi

ti nomine uides, quod eſt plurale maſcu-
linum, de quo uide quæ annotauimus
numero centeſimoprimo.

Tertiam uocẽ, ſigno quadrageſimo.

Quartam ſimiliter explicauimus eo-
dem ſigno, niſi quòd hîc ante ſe habet ſer
uile beth, quod tradidit he demonſtrati-
uum: & quod propter finẽ periodi, ſchin
hîc pro ſcheua ſægol recepit.

Verſus decimusnonus.

CXVI קָרָאתִי לַמְאַהֲבַי Prior uox præ
teritum eſt kal primæ perſonæ ſing. radi-
cem eius uide numero centeſimo.

Secunda uox participium eſt præſens
plurale ſecundæ coniugationis, habetq́
iod affixum præcedente paſſach, de quo
uide quæ diximus numero XCIII. Radi-
cem huius uerbi quære ſigno XIX. quod
uerò non uides dages figuratiuum ſecun
dæ coniugationis, ratio eſt, quòd media

radicalis (in qua dages reſidere debe-
bat) una eſt ex gutturalibus, quæ dages
ipſius conſuetudinem refugiunt. Lamed
ab initio articulus eſt datiui, includitq́ in
ſe he demonſtratiuum, id quod paſſach
genuina eius pũctatio indicat, niſi quòd
dages quod poſt he demõſtratiuum ple
runque ſequitur, excidit. Sępiſſimè enim
he demonſtratiuum, quod poſt ſe habet
literam ſcheuatam abijcit dages, & loco
eius gaia accentus, cuius forma talis eſt ן
apponitur, ut hîc uides. Idem iudicium
eſt de literis כלב quæ frequenter inclu-
dunt he demõſtratiuum, de qua re libro
ſecundo latè diſſeruimus.

CXVII הֵמָּה רְמוּנִי Prior uox in fine
habet he paragogicum: nam aliâs ita ſcri
bitur הֵם pronomen eſt tertiæ perſonę
maſcul. plurale, quod aliquando ſepara-
tim ponitur, & habet zere; aliquando uę

rò affigi

rò affigitur tam uerbis quàm nominibus & tum habet ſægol.

Altera dictio pręteritum eſt tertię perſonę pluralis ſecundę cõiugationis piel, ut uidere eſt in dages. Radix eſt רָמָה id eſt, decepit.

Tertia, radicalis he hoc loco quieſcit pro more uerborum quinti ordinis, de qua re aliâs diximus. נִי uerò quę illi coniũgitur, affixio eſt primę perſonę ſingul. Rabbi Salomo hoc loco intelligit Iſmaelitas, qui quum in captiuitatem abducerentur Iſraelitę, illis obuiã progreſſi amicos ſe illorum ſimularunt, proferentes cibos ſalſos ac utres inflatos, unde Iſraelitę comedentes, poſtea quoq; utres ori applicarunt rati uinum in illis contineri, atque ita ſpiritus incluſus utribus ingreſſus in interna Iſraelitarum, eos interfecit. Hęc ille.

CXVIII כֹּהֲנַי וּזְקֵנַי בָּעִיר גָּוָעוּ Prior uox pluralis eſt numeri cum affixo primæ perſonę, quod ante ſe habet paſſach, propter cauſam quam iam ſemel atq; iterum inculcaui. Singulare, & radicem huius nominis uide ſigno trigeſimotertio.

Secũda dictio ſimiliter eſt pluralis numeri cum affixo iod. ſingulare eius eſt זָקֵן id eſt, ſenex, eſtq; ipſa radix ſimul, ſignificat ſeneſcere. Nomen ergo & uerbũ eandem habent pũctationem, ſuntq; dignoſcenda ex contextu orationis: nam Gen. uigeſimoſeptimo eſt uerbum, & Geneſ. uigeſimoquarto nomen eſt adiectiuum. Proinde hoc loco uaf ab initio copula habet ſchurek, ne ſcilicet duo ſcheuain ab initio dictionis concurrerent, de qua re uide ſuprà libro ſecundo.

In tertia uoce (quam ſigno quarto explicauimus) beth ab initio ſeruilis eſt, &

includit

includit in ſe he demonſtratiuum, quod hîc kametz habet propter gutturalem.

Poſtrema huius clauſulę uox, uerbum eſt præteritũ kal, plurale tertiæ perſonæ, radix eſt גָּוַע cuius ſignificationem Dauid Kimhi in Dictionario ſuo his uerbis deſcribit, עִנְיַן גְּוִיעָה מִיתָה קַלָּה שֶׁאֵינָהּ בַּאֲרִיכוּת הַחוֹלִי id eſt, ſignificatio huius uocabuli eſt, mors leuis, quæ non longitudine morbi fuit. Hæc ille. Noſtri transferunt, expirare. Proinde eſt in hoc loco kametz pro ſcheua, propter athnach accentum diſtinguentem.

CXIX בִּקְשׁוּ אֹכֶל לָמוֹ Prima uox præteritum eſt plurale tertiæ perſonæ in cõiugatione piel, niſi quòd dages hîc euphoniæ gratia excidit, nam radix eſt בִּקֵּשׁ id eſt, poſtulauit.

Secundam uocem uide ſigno LXXVI.

Tertia uox compoſita eſt ex lamed ar

 ticulo

ticulo datiui & ſyllaba ſeruili ſeu affixo מִי, quę eſt nota pluralis numeri maſculini generis.

CXX וַיְשִׁיבוּ אֶת נַפְשָׁם Vaf ab initio primę dictionis, cum ſuo genuino puncto ſcheua, hîc non eſt copula, ſed per ut, exponenda: uerbum eſt futurum plurale tertię perſonę, tertię coniugationis, cuius radicem uide ſigno LXXVII.

Alteram particulam explicaui ſigno ſexageſimoſexto.

In poſtrema dictione (quam expoſuimus numero LXXVII.) Mem in fine affixum eſt plurale maſculinū ſecundę perſonę. Quod attinet ad phraſin, uide quę diximus ſigno iam primùm citato.

Verſus uigeſimus.

CXXI רְאֵה יְהוָה כִּי צַר לִי De prioribus duabus uocibus, uide numerum ſexageſimumſextum.

Tertiam

Tertiam quoq; require XXXVI.

Quarta, nomen est substantiuum angustiam significans à radice צרר afflixit.

Postrema particula, pronomen est datiui casus singulare primę personę, uide suprâ caput XXIII libri primi. Interim & phrasis Hebręa hoc loco est notanda, dicitur enim hîc, Vide Domine, quoniam tribulatio seu angustia mihi (scilicet est). pro, Vide Domine qnoniam affligor.

CXXII מעי חמרמרו Prima dictio nomen est plurale masc. cum affixo iod, quod testatur passach, pro more. Singulare eius est מעי à radice מעה

Altera uox, pręteritum est plurale tertię personę kal, & est anomalum: nam secunda & tertia radicalis duplicata est. radix eius est חומר id est, lutum: unde hoc uerbū significat turbari, nam est neutrū, seu passiuū. Vltimū kametz loco scheua adest

adeſt, propter accentum diſtinguentem.

CXXIII נֶהְפַּךְ לִבִּי בְּקִרְבִּי Prima dictio præteritum eſt ſingulare paſſiuũ primæ cõiugationis, atteſtãte id litera nun. Radix eſt הָפַךְ id eſt, uertit.

In ſecũda uoce, iod à calce affixum eſt primę perſonæ ſing. ut iam ſæpe dictum eſt. Radix eius eſt לֵבָב ſed ſępe abiĳcitur una ex geminatis literis, & dicitur לֵב id eſt, cor: & cum affixis denegatur, ad denotandum eclipſim alterius beth, quemadmodum hîc uides.

Tertiam uocem explicauimus numero nonageſimonono.

CXXIIII כִּי מָרוֹ מָרִיתִי De prima particula iam pridem diximus.

Secunda dictio, infinitiuus eſt kal, & quieſcit hîc tertia eius radicalis he.

Tertia, primæ perſonæ eſt præteriti, eiuſdem thematis, quod explicatum eſt

numero

numero cẽteſimoduodecimo. Et notanda eſt hîc phraſis linguę ſanctæ, quæ quũ rem aliquã exaggerare uult, repetit idem uerbum, ut hîc, Rebellãdo rebellaui: hoc eſt, grauiſſimè rebellaui, &c. Hieronymus tranſtulit, Amaritudine plena ſum: neſcio quid ſecutus ſit, quum neqꝫ Chaldęus (quem tamen aliâs imitari uidetur) neqꝫ ipſa Grammaticæ ratio hoc admittat, ſed imitatur ille ſæpe Septuaginta.

CXXV מִחוּץ שִׁכְּלָה חֶרֶב In prima uerò mem ab initio eſt præpoſitio De, è, à, &c. abiecta eſt litera nun, non tamen dages uel zere loco eius ponitur. rationem quære ſuprà libro ſecundo, capite tertio, in fine. Ipſa uox radix eſt, ſignificat Foris, & præter, Eccleſiaſtis ſecundo. Et forum ſeu plateas, Prouerb. primo, & Ieremiæ trigeſimoſeptimo.

Altera dictio eſt præteritum fœmininum

num ſingul. tertię perſonę cõiugationis piel. Radix eſt שָׁכַל id eſt, orbari paſſiuè. Geneſeos quadrageſimotertio. In ſecunda uerò coniugatione fit actiuum & tranſitiuum, ut hîc uides.

Tertia uox, nomen eſt ſex pũctorum (ut uocant Grammatici) gladium ſignificans, ſeu (ut inquit Kimhi) in Dictionario ſuo, כָּל דָּבָר הַכּוֹרֵת יִקָּרֵא חֶרֶב אוֹ בַּרְזֶל אוֹ אֶבֶן הַחֲרוּרֶת hoc eſt, Omnis res quę incidit, uocatur cheref, ſiue ſit ferrum, ſiue lapis acutus, ut Ioſue quinto, &c. Hinc uerbum formatur quod eſt חָרַב id eſt, deuaſtare, gladijs enim plerunque deuaſtationis ſolent fieri, &c.

CXXVI בַּבַּיִת בַּמָּוֶת Ab initio dictionis, beth ſeruilis litera includit he demonſtratiuum, id quod pũctatio arguit. Porrò uox ipſa eſt radix, ſignificat Domum. Deuteron. XXII. & nidum auiculę,

Psal.LXXXIIII. & sepulchrum & carcerem Esa.XIIII. & internam partem alicuius rei, seu intus, uti hoc loco, semperq; opponitur particulę חוץ foris. Exo.XXV. Significat & locum quemlibet 1 Reg.xviij. & familiam, Deut.xiiij. & alijs plerisq; locis.

Altera dictio nomen est fœmininum, à radice מות id est, mortuus est. Caph ab initio, similitudinis est nota, & includit he demonstratiuum, ut testatur ipsa punctatio. Proinde hęc particula ita explananda est, domi est tanquam mors, siue domi est aliquid tanquam mors, nempe terror, famis, ut dixit Chaldęus.

Versus uigesimusprimus.

CXXVII שָׁמְעוּ כִּי נֶאֱנָחָה אָנִי Prior uox pręteriti est tēporis, plur. tertię personę coniug. kal à radice שָׁמַע audiuit.

Secundā, signo trigesimosexto habes.

Tertiam, signo sexagesimo.

Quarta

Quarta uox pronomen eſt primæ perſonæ, habetq́ꝫ ſub aleph kametz, propter accentũ reuia, qui unus eſt ex diſtinguentibus orationem, aliâs habet hatephpaſſach: quandoqꝫ admittit caph epentheſim, ut dicamus אָנֹכִי id eſt, ego.

אֵין מְנַחֵם לִי Omnia hæc ſuprâ explicata ſunt.

CXXVIII כָּל אֹיְבַי שָׁמְעוּ רָעָתִי De prima uoce ſigno decimooctauo.

Secũda uox, plurale eſt cum affixo iod præcedente paſſach, de quo iam ſæpe dictum eſt. Singulare & radicem eius require numero LXVII & XXII.

De tertia item diximus ſigno CXXVII.

Quatta deniqꝫ uox, nomen eſt fœmininum, à radice רוּעַ malus fuit, mutauitq́ꝫ hîc ſuum he in thaſ, propter affixum iod primę perſonę ſingul. nam extra affixum & conſtructionem ita ſcribitur רָעָה id

eſt, malum

est, malum, calamitas, pœna peccati, &c.

CXXIX. שָׂשׂוּ כִּי אַתָּה עָשִׂיתָ. Prior uox præteritũ est plurale tertiæ personæ coniugationis kal, à radice שׂוּשׂ quæ læ tari significat. Verba autem quarti ordinis in præteritis primę cõiugationis kal, uaf holem in kametz commutant.

De secunda particula aliâs diximus.

Tertia dictio, pronomen est masc. singul. secundę personę in fœminino, abiecto he, ita scribitur אַתְּ Dages in thaf repręsentat literam nun, nam à prima persona אֲנִי analogicè dici debebat אַנְתְּ uti adhuc in Chaldęa lingua uidere est.

Quarta uox pręteritum est kal secundę personę mascul. sing. à radice עָשָׂה fecit, uerbum est quinti ordinis, quę in hac persona pręteriti he in iod commutant, de qua re iam antea perscripsimus.

CXXX תָּבֵאתָ יוֹם Prior uox pręteri-

tum eſt ſecundæ perſonæ maſcul. ſingul. coniugationis hiphil, quam indicat litera he. radix eſt בּוֹא uenit, ingreſſus eſt. in hiphil הֵבִיא fecit ingredi, ſeu uenire. Porrò ſecundum zere loco hirek, ſequente iod ponitur.

Secunda dictio, nomen eſt diem ſignificans, aliquando tempus quo ſol eſt ſuper terram, ut inqnit Kimhi: aliquando diem & noctem ſimul, iuxta illud, Factũ eſt ueſperi & mane dies unus: aliquando annum: nonnunquam generaliter pro tempore uſurpatur.

CXXXI קָרָאתָ וְיִהְיוּ בְּמֹנַי Prior uox præteritum eſt kal ſecundę perſonę ſingul. maſc. Radicem eius quære ſigno C.

In ſecunda (quę futurum eſt plur. tertię perſonę kal, cuius radicẽ numero trigeſimoſexto habes) à fronte uaf eſt copulatiua, habetꝙ ſuum genuinum ſcheua.

Tertia

Tertia uox ex duabus constat particulis, כְּמוֹ id est, sicut, & affixo primę personæ נִי &c. Bifariàm hoc hemistichiū exponitur. Primùm sic, adduxisti diē quem prædixisti (scilicet per Prophetas) ut sint similes mei (ut uaf, pro ut, exponatur) id est, ingrediātur templum hostes mei, ut nos Israelitæ. Deinde sic, Vtinam uenire faceres, siue fecisses diem, quem (per prophetas tuos) prædixisti, ut sint mei similes, id est, ut puniantur, ut ego punior. Huic posteriori expositioni astipulentur & Aben Esra & rabbi Salomo, ac etiam Chaldæus paraphrastes.

Versus uigesimus secundus.

CXXXII תָּבֹא כָל רָעָתָם לְפָנֶיךָ Prior, futurum est kal tertię personę sing. fœm. à uerbo quod explicauimus signo CXXX De altera, iam antea diximus.

Tertia, habet à calce mem affixum

maſcul. plurale tertię perſonę, propter quod & he fœmininum mutatum eſt in literam thaſ.

Quarta uox ab initio habet lamed cũ genuino ſuo puncto ſcheua articulũ dati ui, à calce uerò kaph affixum maſcul. ſingul. ſecundę perſonę. Radix eius eſt פָּנָה id eſt, reſpicere, uertere: unde nomen pluralis tantùm numeri פָּנִים id eſt, facies: eo quod (ut inquit Kimhi) hincinde in quamcunq; partem faciem flectere poſſimus, &c. Deinde uerò ſemper eſt plurale uel duale, propter duas partes faciei, in qua omnia membra ſunt bina, oculi inquam, labra, aures, nares, nates, genua, genę, &c. Porrò hîc mem abiectum eſt, nomina enim pluralia maſculina quum poſt ſe regunt caſum uel affixũ, abijciunt mem alterum ſignum pluralis numeri, ac ante literam iod uel ſegol, uel zere, uel

kametz

uel kametz,uel paſſach ſubnotant.

CXXXIII וְעוֹלֵל לָמוֹ כַּאֲשֶׁר עוֹלַלְתָּ לִי

Prima uox eſt imperatiuus ſingul.maſc. quadratę coniugationis,ſecũdum quoſdam grammaticos.Elias tamen in libro Bachur,id eſt Electo,in ſecũdo inquam, ubi de uerbis quarti ordinis & ſexti ſermonem habet,ad coniugationẽ piel huiuſmodi uerba refert,quem uide:& nos quoquè in ſequentibus libris copioſè de hac re diſſeremus. radix eſt עָלַל id eſt,fecit,operatus eſt. Vaf ab initio eſt copula.

Secunda dictio numero centeſimo decimonono explicata eſt.

Tertia,conſtat ex caph ſimilitudinis, quod hahet paſſach propter gutturalem quę punctat ſe & pręcedentem,& ex relatiuo aſcher,quod numero quinquageſimoprimo expoſui.

Quarta,pręteriti eſt temporis ſecun-

dæ perſonæ maſculini ſingularis, à uerbo iam primùm commemorato.

Vltima uocula numero octogeſimoquarto explicata eſt.

CXXXIIII עַל כָּל פְּשָׁעָי De his tribus uoculis diximus numeris decimo ſexto, decimooctauo & nonageſimotertio: niſi quòd in ultima, kametz poſtremum loco paſſach ponitur, propter athnach accentum diſtinguentem.

CXXXV כִּי רַבּוֹת אַנְחֹתַי De priori particula, uide numero trigeſimoſexto.

Secunda dictio, nomen eſt plurale fœmininum, cuius ſingulare & radicem numero quinto expoſuimus.

Tertia, in fine habet iod affixum, & eſt plurale à fœminino ſingulari אֲנָחָה Eſaiæ capite trigeſimoquinto, à radice אָנַח id eſt, ſuſpirauit.

CXXXVI וְלִבִּי דַוָּי Primam uo-

cem

cem explicauimus, numero centesimo ui gesimotertio, nisi quòd illa hîc habet uaf copulatiuum præfixum.

Altera dictio, nomen est adiectiuum, à radice דָוָה significat infirmum, mœstum, & ægrotum esse. Et notandum est, in hoc nomine, iod uenire loco ipsius he tertiæ radicalis.

Meditationem tertiæ uocis signi CXXXII habes etiam in signo CXXVIII.

Finis meditationum grammaticarum in caput primum.

DAVID KYBERVS STVDIOſis *Linguæ ſanctæ* S. D. P.

QVum unicus ille laborum noſtrorum ſcopus ſit Studioſi adoleſcẽtes, ut & linguam ſanctã noſtra ſedulitate induſtriaq́; ornemus, & ijs quoq; qui ad illam aſpirant adiumento ſimus: ideo non tantùm in his noſtris libellis pręcepta tradere, ſed & Meditationes Grammaticas regulis coniungere uſumq́; docere uoluimus. Atq; ideo diligentiùs & fuſiùs fecimus, quo Studioſi Linguę ſanctę cognoſcere poſſint, qua ratione ſingula & minima quæque inueſtiganda, & ad præcepta Grammaticorum expẽdenda ſint. Quòd ſi ad hunc modum uno in capite ſtrennuè ſeſe exercuerint (ad quod hęc noſtra commenta-

ria

ria haud uulgare præſidium adſerent) ſentient breui magnum operæ ſuæ fru‐ ctum, poteruntq́ minori negocio ac mo leſtia ad reliqua progredi. Iam uerò quod ad ſequentia Lamentationum ca‐ pita attinet, non erimus in illis adeò pro‐ lixi, neque explicationem ſeruilium lite‐ rarum, indeclinabiliũ particularum, per‐ fectorumq́ uerborũ inflexionem toties repetemus, præſertim quum non ſolum præcedenti capite, copioſè ea omnia exe‐ quuti ſimus: ſed & quia de illis primo & ſecundo libro, ſatis luculenter tractauit. Nihil tamen intactum relinquemus, de quo ſtudioſos dubitare poſſe uidebitur. Verſabit autem noſtra interpretatio po‐ tiſſimùm circa imperfectorum anomalo rumq́ nominũ ac uerborum phraſeosq́ explicationem. Toties enim quæ antè di cta ſunt, ingeminare non ſolùm tædium

parit, ſed & in rem Studioſorum minimè fuerit, quorum diligentia cibo ſemper præmanſo non rarò labefactatur.

Valete. Chriſtumq́ꝫ precamini ut pia ſtudia Linguarum ad gloriam nominis ſui ac Eccleſiæ utilitatem promoueat atque gubernet.

Amen.

Meditatio.

MEDITATIONES GRAM- *maticæ in Lamentationum Hieremiæ caput ſecundum.*

Verſus primus.

NVmerus aut Signum CXXXVII. יָעִיב Verbum eſt futurum ſingular. tertiæ perſonæ, tertiæ coniugationis actiuæ, à radice עוב quæ ſignificat teneбreſcere, uti interpretatus eſt rabbi Salomo, quem ſequutus Hieronymus expoſuit, obtexit caligine. Abrahã uerò Aben Eſra ſapientiſſimus (hoc enim nomen ab eruditione & doctrina ſua multiplici, apud ſuos obtinuit) ſequentia conſiderans (ubi dicitur, cœlo deiecit) radicem eius aſſignat עָב id eſt, nubes. Vnde uerbum tertiæ coniugationis הֵעִיב quod hîc uſurpatur, ad nubes uſque exaltauit, ſignifi

ſignificare contendit. Chaldæus paraphraſtes ita tranſtulit, אֵיכְדֵין יְקַרֵץ יְהֹוָה בִּתְקוֹף רוּגְזֵיהּ יָת וגו׳ hoc eſt, Quomodo deteſtatus eſt, uel ſpreuit, abominatus eſt Dominus in uehementia furoris ſui congregationem Zion. Notandum eſt uerò hîc futurũ pro præterito poni, quæ duo tempora facilè inter ſe commutantur, quemadmodum libro primo, capite decimo & decimoquinto indicauimus.

CXXXVIII חִשְׁלִיךְ Verbum eſt tertiæ coniugationis actiuæ præteriti temporis, ſingularis maſculini tertiæ perſonæ, cuius radix eſt שָׁלַךְ quæ tamen in kal non eſt in uſu. Significatio eius eſt, ut inquit Kimhi, רְמִיָּה וְהַפָּלָה id eſt, Exaltatio & caſus: quaſi dicat, poſtquàm exaltauit illos in cœlum uſque, deiecit poſtea ũna uice, & non ſenſim (hoc eſt, ſubitò) in terram (tanquam de ædificio alto in ci-

ſternam

ſternam profundiſſimã) Hæc uerba ſunt rabi Salomonis, quæ adiecimus eo nomine, ut proprietas uocabuli melius perpendatur.

CXXXIX משמים Mem ab initio præpoſitio eſt, à, de, quam explicauimus libro ſecundo, & ſuprà in primo capite, ſæpe eſt repetita. Proinde ipſa uox dualis eſt numeri, nec enim unquam in ſingulari numero reperitur: cauſam aſſignant duplicem, uel quod medium ſit & diuidat inter aquas ſuperiores & inferiores, uel quod quælibet regio propriam cœli plagam uideatur habere. Porrò rabbi Salomo in Commentario ſuo ſuper caput primum Geneſeos, huius uocis uariam affert etymologiam, dicens, שא מים שם מים אש ומים שערבן זה בזה ועשה מהם שמים hoc eſt, Schamaiim, id eſt, cœli dicti ſunt, quaſi Sa maiim, id eſt, ſuſtine aquas

quas(propter aquas ſcilicet quæ ſunt ſu‑
pra firmamentum) uel quaſi Scham ma‑
ijm, id eſt, ibi aquæ ſcilicet ſunt, eadem ra‑
tione: uel Eſch umaïjm, id eſt, ignis & a‑
qua: qui miſcuit illa duo, & fecit ex illis
ſchamaïjm, cœlos. quaſi dicat, à materia
ignea & aquea, qua conſtant, dicti ſunt
cœli Schamaïjm. Hæc ille. Kimhi uerò in
ſuo Dictionario, ſecundam amplectitur
etymologiam, atque dicit, euphoniæ &
breuitatis gratia excidiſſe alterum mem
מ Nam quum dicendum foret שְׁמַמַיִם
abiecto altero mem, ob cauſam iam ta‑
ctam, שָׁמַיִם effertur, quemadmodum
in nomine Gideonis Ierubbaal, Iudicum
ſexto, factum eſſe uidemus: ubi dicitur
יְרֻבַּעַל eliſis multis literis, & exponitur
per tria uocabula, יָרֵב לוֹ הַבַּעַל hoc eſt,
litiget, ſeu diſceptet contra illum Baal,
uel ulciſcatur ſe de eo Baal. Significat au‑

tem

tem hæc uox remotos longinquosq́ locos aliquando, Deuter. trigeſimo, Eſaiæ decimotertio. Et pro altitudine aeris, uti uidere eſt Deuter. I & IIII, Geneſ. undecimo, Pſal. LXXVIII, Iob ſecundo, &c.

CXL אֶרֶץ nomen eſt ſex punctorū, ut uocant grammatici, ſignificat in genere terram habitabilem & inhabitabilem. differtq́ à תֵּבֵל id eſt, orbe: quod illa uox habitabilē tantùm orbem ſignificet, non nunquam proprijs nominibus regionū attribuitur: ut, terra Ægypti, Geneſ. quadrageſimoprimo. In plurali habet אֲרָצוֹת fœminina terminatiōe, in ſingulari aliâs fœminini eſt generis, idq́ ut plurimùm: aliâs uerò maſculini, ut Geneſeos capite decimotertio, quod ex uerbo maſculini generis ibidem animaduertitur. Rabbi autem Dauid Kimhi etymologiam eius dictionis ita explicat, ut aleph ſit litera

heæman

heæmanthica,& radix eius רָץ id eſt,cu
currit:propter ſphæricum corpus,quod
illam perpetuo ambit & circumit motu.
Aliam aſſignat dominus Paulus Fagius
piæ memoriæ,qui uir ſine omni contro-
uerſia omnium Hebræorum noſtræ æta
tis (abſit inuidia dicto) facilè princeps
fuit,ſcilicet quod deſcendat à radice רָצָה
id eſt, à uolendo ſeu appetendo, quod
terra ſemper appetat ferre fructum,unde
& à Latinis,alma tellus uocatur. Hæc il-
le.Poſſet forſan non ineptè etiam deriua
ri à רָצַץ id eſt,terendo,unde & Latina
terræ appellatio orta eſſe uidetur. Obſer
uandum eſt autem hîc,ſubaudiri articu-
lum lamed:ſic enim dici oportuit, לָאָרֶץ
id eſt,In uel ad terram,&c.

CXLI תִּפְאֶרֶת יִשְׂרָאֵל Prior uox no-
men eſt heæmanthicum, ut uocant (id
quod arguit thaf ab initio poſitum) fœ-
mininum

mininum, denotante id thaf à calce, præcedente duplici ſægol. Radix eſt פֵּאֵר id eſt, decorare, uerbum ſecundæ dageſſatæ coniugationis, in quo zere prius loco dages, quod in aleph gutturali poni non poterat, adeſt. Iſa. LV & LX. Inuenitur & in quarta coniugatione, Exo. VIII. Iud. VII.

De altera dictione Steuchus ita annotauit in caput trigeſimumſecundum Geneſeos. Patet hoc loco uerum eſſe quod ait Hieronymus magis argutè quàm uerè, quoſdam uoluiſſe hoc nomen interpretari, Virum uidētem deum, aut mentem uidentem deum. Sunt enim falſa, ut manifeſtum eſt ex literis Hebraicis. nam Hebraicè שָׂרָה id eſt Sara, dominari ſonat, à quo שַׂר ſar, princeps ac dominator. Idem uerbum in futuro profert יִשְׂרָה iſra. Huic futuro adiungitur אֵל id eſt deus; atque inde nomen Iſrael conflatur,

M quod

quod ſonat dominator dei, uel ſuperans deum, uel princeps cum deo, ut & ipſe angelus hoc loco Iacob appellauit. Quã formam nominum etiam ſequuntur, Iz-chak, Iaacob. Sunt enim futura tempora, ea omnia. Quamobrem qui putarunt Iſ-rael ſignificare uirũ uidentem deum, de-cepti ſunt uocum ſimilitudine. nam quũ Iſra ſit futurum, à Sara (ut uidimus, & ut ipſæ literæ indicant) arbitrati ſunt eam uocem è duabus conflari, ſcilicet רָאָה raah, id eſt, uidit, & אִישׁ iſch, id eſt, uir: quod certè commentitium eſt. Fallitur quoqꝫ Nicolaus, qui idem nomen aſſerit directum cum Deo interpretari poſſe. Nam יָשָׁר iiſchar, hoc eſt, rectus, ſcribi-tur per ſchin craſſum (hoc eſt, ut litera habeat punctum in dextro cornu hoc pa-cto, שׁ) At Iſrael, per ſcin exile (hoc eſt, tæſcin punctum habeat in ſiniſtro latere

שׂ) eo

ש) eo quod ducitur à Saſara. Hactenus Steuchus.

CXLII הֲדוֹם hæc uox ipſa eſt radix, nomen ſignificans ſcabellum, Pſal. nonageſimonono & cẽteſimo undecimo. Per ſcabellum uerò pedum Domini, Chaldeus paraphraſtes intelligit templum: nam ſic tranſtulit, Et non recordatus eſt Domini ſanctuarij, quæ fuit ſcabellum pedum eius, non miſertus eſt illius in furore ſuo, & cætera.

Verſus ſecundus.

CXLIII בִּלַּע Verbum eſt ſecundæ coniugationis dageſſatæ, in qua deuaſtare, perdere ſignificat. Eſa. uigeſimoquinto, & hîc. In coniugatione enim kal ſignificat deglutire, deuorare, Exodi ſeptimo & Num. decimoſexto, &c.

CXLIIII נְאוֹת nomen eſt plurale fœmininum, quamuis in ſingulari habeat

maſculinam terminationem, ſcilicet נָוֶה id eſt, habitationem, Eſa. XXXIII. & tabernaculum paſtorale ſignificans, ut I Paral. XVII. à radice נָוָה id eſt, habitare, ut Habbakuk ſecundo. Proinde loco ipſius uaf mediæ radicalis aleph hîc eſt poſitum. Literæ enim quieſcentes frequẽter inter ſe commutantur, ut iam ſemel atq; iterum oſtendimus. Paraphraſtes tamen Chaldæus tranſtulit עִיזְוָה id eſt, ornatum, decus: deducens fortè hoc nomen à radice נָאָה quæ pulchritudinem ſignificat: quamuis alij radicem eius אָוָה id eſt, aſſignent, dicantq; nun præfixum eſſe paſſiuæ uocis notam.

CXLV בְּעֶבְרוֹתֵי Huius nominis ſingulare abſolutum eſt עֶבְרָה hoc eſt, ira, à radice עָבַר quæ triplicem habet ſignificationem, teſte Ioanne Reuchlino, qui de illa in Rudimentis ſuis ita ſcribit, Tu

uerò

uerò in uno uerſu cognoſces tria unius originis ſignificata, Deuter. tertio, Tranſibo igitur & uidebo terram hanc optimam trans Iordanem, iratusq́ eſt Dominus mihi. Ecce uerbum Tranſibo, & dictionem Trans, ut uerbum Iratus eſt. Hæc ille.

CXLVI הִגִּיעַ לָאָרֶץ Prima uox uerbum eſt præteritum tertiæ cõiugationis à radice נָגַע tangere. In hiphil ergo ſignificat facere attingere, id eſt, deducere, demoliri ad terram uſq;. Porrò dages in gimel denotat defectum nun primæ radicalis, quæ abijcitur, pro more uerborũ ſecundi ordinis.

Quod ad alterã uocem attinet, quam ſuprà explicauimus, hoc tantùm eſt annotandum, quòd primum ſægol in kametz propter accentum eſt mutatum, & lamed articulus quia includit he demon

ſtratiuum, habet punctum kametz.

Verſus tertius.

CXLVII בַּחֳרִי אַת Beth ab initio cũ paſſach includit he demonſtratiuũ. Vox ipſa nomen eſt, furorem ſignificãs, cuius radicem uide ſuprà numero octogeſimo ſexto, unà cum alterius quoque uocis ſignificatione. Eſt uerò geminatio eiuſdẽ rei hîc animaduertenda emphaſin denotare: quaſi dicat, grauiſſimã eam fuiſſe iram domini: quam phraſim benè reddit Chaldæus, qui habet, בִּתְקוֹף רֻגְזוֹ id eſt, in fortitudine iræ.

CXLVIII יְמִינוֹ radix eſt יָמַן unde uerbum tertiæ coniugationis, Geneſeos XIII. I Paral. XII. Eſa. XXX. ubi aleph loco ipſius iod primæ radicalis ponitur. Hinc nomen formale deriuatur יָמִין id eſt, dextrum, latius ſignificans, & dextram manum, Geneſ. XLVIII. & robur ac potentiam

tentiam, Pſal. CXLIIII. Sic plaga meridionalis hac uoce effertur, Pſal. LXXXIX. eo quòd ad dextram ſit meridies, illi qui uerſus orientem reſpicit. Et quia manus dextra charior eſt homini, ac etiam præſtantior, ſicut & filioli, minores natu: ideo & Iacob, Geneſ. XXIII. Filium ſuum poſtremum Bin iamin, ut filium dextræ appellauit. Notabis poſtremò hîc kametz in ſcheua propter affixum eſſe mutatum.

CXLIX וַיִּבְעַר radix uerbi eſt בָּעַר ſignificat Succenſus eſt, exarſit. in ſecunda & tertia coniugatione ſignificat Incendere, comburere. Tradit autem Rabbi Dauid Kimhi pulchram differentiam inter בָּעַר & שָׂרַף (quæ duo ferè idem ſignificare uidentur) his uerbis,

עִנְיַן הַבְּעֵרָה נוֹפֵל עַל הָאֵשׁ בְּעַצְמוֹ אֲפִילוּ לֹא תֵצֵא פְּעֻלָּתוֹ אֶל אַחֵר ׃ וְעִנְיַן הַשְּׂרֵפָה בָּאֵשׁ תֵּצֵא פְּעֻלָּתוֹ אֶל אַחֵר לְעוֹלָם ׃ Hoc eſt,

Beera cadit in ignem ipſum, etiamſi operatio illius non egrediatur in aliam rem, Serepha uerò perpetuo de igne dicitur, cuius operatio in aliud procedit, agitq́. Hæc ille.

CL בְּאֵשׁ לֶהָבָה אָכְלָה סָבִיב Plana ſunt omnia in hac clauſula, ſi exponas ita, Et exarſit in Iacob, uelut ignis, flamma deuorauit in circuitu. ſed ſi Hieronymi interpretationem ſequamur, qui ita tranſtulit, Et ſuccendit in Iacob, quaſi ignem flammæ deuorantis in gyro: neceſſe eſt, ut ſubauditis quibuſdam particulis, uerba ita conſtruas, בְּאֵשׁ לֶהָבָה אֲשֶׁר אָכְלָה מִסָּבִיב id eſt, ſicut ignis flammæ, quæ deuoratur (ſcilicet omnia) in circuitu: uerbum enim hîc eſt præteritum fœmininum ſingulare.

Verſus quartus.

CLI קַשְּׁתּוֹ Vaf holem in fine affixū

eſt relatiuum maſcul. tertiæ perſonæ. nomen eſt קֶשֶׁת id eſt, arcus: in plurali fœmininum eſt קְשָׁתוֹת Proinde tribuitur arcui uerbum דָּרַךְ id eſt, calcare. Eam ob cauſam, ut ſcribit rabi Salomo, quòd mos fuerit ueteribus quum uellent arcus intendere, pedibus illos calcare, ſeu inter pedes collocare, ut cõmodiùs chordam intendere poſſent. Chaldæus paraphraſtes tranſtulit, מְתַח קַשְׁתֵּיהּ id eſt, extendit arcum ſuum.

CLII נִצָּב יְמִינוֹ כְּצָר Prior uox participium eſt præſens, ſeu benoni, primæ coniugationis paſſiuæ, arguente id kametz: ſi enim præteritum eſſet, tunc haberet paſſach. Radix eſt יָצַב ſtetit. Porrò prima radicalis iod per dages in zade repreſentatur. nam uerba quorum prior radicalis eſt iod ſequẽte zade, ea non ad tertium uerborum ordinem pertinent,

quemadmodũ reliqua incipientia à iod: ſed adnumerantur ſecundo ordine uerborum, quorum prima radicalis in futuro & aliis temporibus ac coniugationibus abiecta per dages indicatur, excepto unico יָצָא quod normam uerborum tertij ordinis ſequitur, quę defectum primę radicalis iod per longum punctum zere referũt: nam ab illo dicimus אֵצֵא תֵּצֵא &c. Porrò hanc particulam Chaldęus ita reddidit, אִתְעֲבַר עַל יַד יְמִינֵיהּ דִּנְבוּכַדְנֶצַּר וְסַיְיעֵיהּ id eſt, tranſiuit per manum dextram Nebukad Nęzar, & adiuuit eum: quaſi dicat, nõ ſolùm manum ſuam à nobis retraxit, ſed inſuper ab hoſte ſtetit.

CLIII שָׁפַךְ כָּאֵשׁ חֲמָתוֹ In ſecunda uoce kaph ſimilitudinis includit in ſe he demonſtratiuum, habetq́ kametz pro paſſach ſequente dages, quia aleph non admittebat dages, de qua re uide quæ in ſecundo

cundo libro de he, & kaph punctatione diximus.

Tertia uocula nomen est fœmininum quod mutauit he in thaf propter affixū. Radix eius est יחם incaluit, uel calefecit: unde nomen חמה furor, cum defectu iod radicalis primæ, sicut à יעץ dicimus עצה consilium: in constructione & affixo mutat scheua in hatephpassach. Hanc clausulam Rabbi Salomo ita interpretandam censet: suntq́ hæc eius uerba,

כה חבור המלה שפך חמתו שהיא כאש כי לא
מצינו שפיכה של אש אלא אצל חמה כדכתיב
שפוך חמתך על הגוים Hoc est, Sic est series ac constructio huius uocis, Effudit iram suam quæ est sicut ignis, nam non inuenimus effusionē ignis, nisi cum ira, sicut scriptum est in Psalmo septuagesimonono, Effunde iram tuam super gentes. Hæc ille.

Versus

Versus quintus.

CLIIII אַרְמְנוֹתֶיהָ He in fine affixum est fœmininum singulare tertię personę, iod epenthesis, de quo uide numero trigesimoquarto: nomen est plurale fœmininum, singulare est masc. אַרְמוֹן Significat domum magnam & excelsam. Annotat Kimhi duplicem eius radicem, scilicet אָרַם & רוּם id est, excelsus uel altus fuit, quæ radix etymologiæ benè conuenit. Proinde Amos quarto, pro aleph prima radicali ponitur he, & Esa. XIII. pro litera resch, lamed positum est. Est & hoc notandum in pręsenti uoce plurali, extra statum regiminis & affixi regulariter dici debere אַרְמוֹנוֹת Sed holem primum in regimine & affixo, ut hîc uides, in scheua conuertitur, quæ forma in statu absoluto quãdoq; inuenitur, ut habes Amos capite tertio.

CLV מִבְצָרָיו nomen eſt plurale maſculinum cum affixo maſcul. tertiæ perſonę ſing. ſingulare מִבְצָר munitio, nomen heæmanthicum à radice בָּצַר quæ inter alias ſignificationes, & munire, corroborare & fortificare, ſignificat.

CLVI וַיֶּרֶב Verbum eſt tertiæ coniugationis actiuę futurum conuerſum in prçteritum per uaf hippuch. Radix huius uerbi eſt רָבָה multiplicatus eſt, abſolutè: in tertia הִרְבָּה multiplicauit, tranſitiuè. Porrò uerbum eſt quinti ordinis, quę in futuris omnium ferè coniugationnm ultimam radicalem he abijciunt, maximè quum habuerint uaf conuerſiuum præpoſitum. Qua de re Elias uir doctiſſimus in libro Electo, oratione ſecunda, fundamento decimo, in hæc uerba ſcribit: Obſeruandum eſt etiam (inquit) quod pleraq; futura huius ordinis uerborum ueniant

niant cum defectu he tertiæ radicalis, ut in kal, cum hirek ſequente ſægol, nonnunquam uerò cum zere ſequēte ſægol. In niphal cum hireck ſequente kametz (abiecto dages, repræſentante nun paſſiuum). In piel cum ſcheua ſequente paſſach (& ſimiliter abiecto dages, coniugationis figuratiuo) In pual & hophal non eſt hîc defectus. In hiphil uerò cum duplici ſægol. In hithpael cum ſcheua & paſſach (& abiecto dages).

Exempla.

Primò. Geneſ. II. וַיִּבֶן אֱלֹהִים pro יִבְנֶה coniugationis kal, à radice בָּנָה Num, XVI. אַל תֵּפֶן pro תִּפְנֶה coniugationis kal, à radice פָּנָה

Secundò. Num. XXIII. cap. וַיִּקָּר אֱלֹהִים pro יִקָּרֶה coniugationis niphal, à radice קָרָה

Tertiò. Geneſ. II. וַיִּצֶר אֱלֹהִים pro יְצַוֶּה coniugationis piel, à radice צִוָּה

Quartò. Iudic. XIIII. וַיִּפֶן זָנָב pro יַפְנֶה coniugationis hiphil, à radice פָּנָה

Quintò. Geneſeos V. וַיִּתְגַּל בְּתוֹךְ pro יִתְגַּלֶּה coniugationis hithpael, à radice גָּלָה

CLVII תַּאֲנִיָּה וַאֲנִיָּה Duo ſunt nomina unius ſignificationis, ſed diuerſæ formæ: nam prius thaf habet heæmanthicũ, utrunqꝫ fœmininum & dageſſatum, deſcendens à radice אָנָה quod lugere ſignificat. Thargum hæc duo nomina ita reddidit, אֲבִילוּתָא וַאֲנִינוּתָא id eſt, luctum & mœrorem. Hieronymus habet humiliatum & humiliatum: fortaſſe pro aleph legit ain: nam עֲנִיָּה ſignificat humilem. ſed quod diſtinctionem generis fecerit, quum utrunque nomen ſit fœmininum, neſcio quid ſequutus ſit.

Verſus

Verſus ſextus.

CLVIII וַיַּחְמֹס כַּגַּן שֻׂכּוֹ Prior uox futurum eſt conuerſum in præteritum, radix eſt חָמַס quam Kimhi ex ſententia rabbi Ionah dicit in lingua Arabica ſignificare, mouere, uel auferre rem aliquam de loco ſuo: quare interpretatur hunc locum ita, Quemadmodum facile eſt tugurium horti alicuius transferre, ſic etiam Dominum feciſſe in tugurio ſuo, quod eſt Zijon. Rabbi Salomo interpretatur per בְּרִיתָה id eſt, excidium, exterminium, totamq́; hanc uerſus particulam ita explanat, Quemadmodum holera horti ſucciduntur, ita facilè fuit Domino transferre tugurium ſuum Zijon. Quidam noſtri ſeculi interpretes ita reddiderũt locum, Diſſipauit tabernaculum ſuum paradiſo ſimile. Sed priorem ſenſum reliqui interpretes ferè omnes ſequuntur, eſt enim ueriſimilior

risimilior. In altera uoce kaph ab initio similitudinis includit he demonstratiuū, uox in plurali habet גַּפִּים cum dagesch, quod arguit radicem eius esse גָּנַן For-mam aliâs habet & fœmininam, nam dicimus גַּנָּה גַּנּוֹת Esaiæ LXI. Cantic. VI. Numeri uigesimoquarto, Hieremiæ uigesimonono, Amos nono.

Tertia uox nomen est שׂוֹךְ & שׂוּכָּה tugurium, à radice סָכַךְ quod tegere & obumbrare significat. Notandum uerò schin hoc loco pro samech poni. Vtraq; enim est ex numero dentalium. Est enim mutuus symbolismus inter literas eiusdē instrumenti. Et annotat hîc Aben Esra, quemadmodum utriusq; generis nomē חוֹק & חֻקָּה à radice חָקַק formamus: ita etiam à prædicta radice dici סֹךְ סֻכָּה longum uerò punctum propter affixum hîc in breue transijt, pro more.

CLIX שִׁבַּח uerbum eſt ſecundæ con iugationis dageſſatæ, in prima eſt ſimpliciter tranſitiuum, ſed in hac ſecunda eſt tranſitiuum ad duo, facere obliuiſci, dare obliuioni, memoriam alicuius rei abolere. Sunt autem obiter mouēdi ſtudioſi Linguę ſanctæ, ut diligenter diſcant coniugationum uim cognoſcere, in quibus ſanè multum eſt ſitum: ſed nos de illis in tabulis noſtris. Tabula nona diſſeruimus, ad quas remitto ſtudioſos, qui hæc cognoſcere cupiunt.

CLX וַיִּנְאַץ בְּזַעַם Prius uerbum eſt futurū kal conuerſum à radice נָאַץ quæ ſignificat auerſari, reprobare, abhorrere, odiſſe: nam ita tranſtulit hoc loco Chaldæus interpres.

Altera dictio nomen eſt à radice זָעַם id eſt, iraſci. Notāda uerò eſt phraſis Hebræa, in ira furoris ſui, idem eſſe quod dixit

xit Chaldæus, וּסְנָא בִתְקוֹף רוּגְזֵיהּ id eſt, Et odio habuit in fortitudine iræ ſuæ. Huiuſmodi enim geminationes rem amplificant apud Hebræos. Rabbi Salomo per regem & ſacerdotem intelligit Zidkijahu regem Iehudah & Scherajahu ſacerdotem magnum, qui in Babyloniam abducti fuêre.

Verſus ſeptimus.

CLXI מִזְבְּחוֹ nomen eſt heæmanthicum, cum affixo extra ſtatum affixi eſt מִזְבֵּחַ id eſt, altare: à quo nomine impudentes quidam ac indoctiſſimi aſini, miſſæ ſuæ etymologiam petere conati ſunt: ſed quàm inepti ſint etymologici, res ipſa clamat. radix illius eſt זָבַח ſacrificauit.

CLXII נֵאֵר uerbum eſt ſecundę coniug. actiuæ, quod uerò dages non habet, in cauſa eſt, quòd aleph media radicalis non eſt capax illius. de hac, Aben Eſra ita

ſcribit, הַנּוּן שׁוֹרֶשׁ נֵאַרְתָּה בְּרִית עַבְדֶּךָ כְּמוֹ עָזַב אוֹ שָׂנֵא hoc eſt, nun eſt radicale, ut Pſalmo octogeſimonono, Auerſatus es fœdus ſerui tui, & cætera. idem eſt quod reliquit, deſeruit, uel odio habuit. Chaldæus habet בְּעַט conculcauit. rabbi Salomo per בִּיטֵּל id eſt, fecit ceſſare, abſtulit, reprobare, &c. Kimhi ita, עִנְיָן הַרְחָקָה וְהַשְׁלָכָה מִן הַלֵּב id eſt, ſignificat elongare uel abĳcere è corde. hoc eſt, aſpernari, auerſari. Hieronymus habet, maledixit. Potuit enim fieri, ut à radice אָרַר maledixit, hoc uerbum deduceret, & nun non radicale eſſe putaret, quare non ſine cauſa Abraham Aben Eſra de illa litera admonuit.

CLXIII קוֹל נִתְּנוּ וגו׳ In hac clauſula nihil eſt annotandum, niſi quòd nominatiuus agentis cum uerbo nō eſt poſitus, ſed ſubaudiendus: nam ita exponit rabbi Salomo

Salomo, Sicut in die festo quum fuerunt lætantes & cantantes in medio illius templi uoce alta, sic dederunt inimici in deuastatione eius uocem lætitiæ. Est uerò Dare uocem, Hebraica loquutio, pro ædere uocem.

Versus octauus.

CLXIIII קַו nomen est, mensuram significans, Latinè regula: aliis, funiculus. Chaldæus habet, מַשְׁקוֹלְתָּא perpendiculum. radix est קָוָה

CLXV וַיֶּאֱבַל futurum est tertię coniugationis actiuæ, id quod passach sub iod arguit. Porrò iod quod est tertię coniugationis abiicitur, & loco eius zere ponitur, quod tamen in sægol est conuersum, ut commodiùs per makaph sequenti dictioni adiungeretur. Solet enim tam in uerbis quàm nominibus makaph mutare longa puncta in breuia, uide nume-

rum quinquagesimumsecundum. Porrò regulariter ita pũctaretur dictio præsens יַאֲבִיל & cum uaf conuersiuo וַיַּאֲבֵל Radix est אָבַל lugere, sed hîc in tertia coniugatione significat deuastare. Sic enim scribit Rabbi Kimhi, וּלְעוֹלָם כְּשֶׁתִּרְאֶה הַמִּלָּה הַזֹּאת קְשׁוּרָה עִם מִלַּת אֻמְלַל הִיא ל לְשׁוֹן חוּרְבָּן וּשְׁמָמָה וְהַשְׁחָתָה hoc est, Et in æternũ quum uideris hanc dictionem coniunctam uoci אֻמְלַל scias significare illam excidium, desolationem & deuastationem. Hæc illa.

CLXVI חֵל וְחוֹמָה De priore uocula quam nostri antemurale, uel propugnacula exponunt, rabbi Kimhi ita tradit,
וְרַזַ״ל פֵּירְשׁוּ חֵיל הַחוֹמָה הַקְּטַנָּה הַחִיצוֹנָה שֶׁל
שֶׁלִּפְנֵי הַחוֹמָה הַגְּדוֹלָה בְּאָמְרָם מַאי חֵיל וח
וְחוֹמָה אר׳ חֲנִינָא שׁוּרָא וּבַר שׁוּרָא וְאֶפְשָׁר שׁ
שֶׁקָּרְאוּ הַפְּנִימִית חֵיל וְהַחִיצוֹנָה הַקְּטַנָּה חוֹמָה
וְיִתָּכֵן לְפָרֵשׁ כִּי הַחֲפִירָה שֶׁהִיא סָבִיב הַחוֹמָה
שֶׁהִיא

שהיא סביב החומה תקרא חיל מתרגום בגיא בחלתא id eſt, Rabini noſtri piæ memoriæ interpretati ſunt Chel, numerum par uulum exteriorem, qui eſt ante murum maiorem. Dicunt enim ſic, Quidnam ſibi uult Chel uechoma? Dixit rabbi Chanina, Murus & filius muri. equidem fieri poteſt, quòd illi uocauerint interiorem murum chel, & externum paruulum choma. Sed uidetur melius eſſe, ſi exponamus Chel, pro foſſa quæ ambit murum. Nam ita tranſtulit Onkelos Deuteronomij tertio capite גיא id eſt, uallem, חלתא (Vnde & foſſa חל dici poterit.) Hæc ille Dauid Kimhi. Huic interpretationi ſubſcribit Aben Eſra, dicens, חל הוא מקום סביב חומה id eſt, Chel eſt locus ambiens mœnia. Eſt autem notandum huius uocis radicem eſſe חיל nam in hoc loco iod media radicalis deficit,

imò quiescit post longum pũctum zere.

Proinde חוֹמָה est ipsa radix, significans murum.

CLXVII יַחְדָו אֲמַלֵּלוּ Prima uox radicem habet יַחַד quæ aduerbialiter sumpta, simul significat, habetq; sæpenumero uaf in fine: de qua Reuchlinus in suo Dictionario ita scribit, יַחַד id est, simul, in unum. Psalmo quadragesimonono, Simul diues & pauper: recipit quandoque paragogen, quasi indicantem pluralitatem. יַחְדָו Ier. trigesimoprimo, Iuuenes & senes simul. uidetur multis hoc uocabulum deriuari ab אֶחָד id est, unus. Hæc ille. Kimhi huius etymologiæ reddit rationem, dicens, quia multi simul coniuncti uidentur unus esse. Debebat autem regulariter ante uaf præcedere iod, pluralis numeri index, ut scriberet יַחְדָיו sed abijcitur iod ubiq;, exceptis tribus in lo-

cis

cis, ut in Masorah annotatum est, scilicet Hieremiæ quadragesimosexto bis, & in eiusdem Prophetia capite quadragesimo nono.

Altera uox, præteritum est passiuum secundæ coniugationis, ut in kybutz uidere est: & pro dages, quod in media radicali requirebatur, ultima litera radicalis geminata est, ut in multis uerbis fieri solet. nam radix est אָמַל significat infirmitatem & exterminium. Notãdum est etiam kametz loco scheua adesse in hoc uerbo propter accentum.

Versus nonus.

CLXVIII טָבְעוּ Præteritum est plurale kal tertiæ personæ, à radice טָבַע quæ significat in profundum demergi. Recitat rabbi Salomo nugator lepidus, hoc loco ex Midrasch Aggada commentum quoddam, dicens, hostes ideo non potuisse

tuiſſe in portas urbis ſæuire ac graſſari, eo quòd honorem aliquando temporibus Dauidis, arcæ Domini exhibuerint, quam ille primus in urbem adduxit: iuxta illud quod in Pſal. uigeſimoquarto dicitur, Tollite ô portæ, capita ueſtra: & quod fuerint opus manuum Dauidis, ideo non potuerunt inimici eas deuaſtare, ſed portæ manus illorum euadentes, in terram demerſę ſunt. Vide optime Lector, iudicia dei, in eos qui ueritatem abijciunt: illi nanque poſtea in reprobum ſenſum dantur, ut pro ueritate mendacium ſequãtur, quod miſerrimis Iehudæis contigit, qui ita faſcinati ſunt, ut quicquid ipſorum Rabbini pronuncient, tanquam oraculum habeant, & cui contradicere nefas eſſe arbitrentur. Quod ut intelligas, non pigebit in mediũ adferre, quod Abraham Hiſpanus autor Commentarij in

rij in

riј in Legem, inſcripti Zeror Hammor, impiiſſimè de ſententiis Rabbinorum aſfirmauit. Sunt autem hæc eius uerba, in caput uigeſimumtertium Geneſeos, ſtatim à principio, ורבים אמרו כי נסמכה מיתתה של שרה לעקידה להורות שעל ידי העקידה פרחה נשמתה ומתה: ויש לנו להורות לדבריהם לפי שכל דבריהם דברי קבלה ואנחנו הולכים ממששים כעורים קיר לסמוך עצמנו עליה: ואעפי שיראה לנו דברינו כנים יש לנו להשליך אמת ארצה לפי שהאמת אתם:
Hoc eſt, Multi dicunt, hiſtoriam de morte Saræ colligationi (ipſius Iſac) coniunctam, quòd illa occaſio fuerit obitus Saræ. Nos uerò confiteri decet, uerbiſque illorum ſubſcribere: eo quòd omnia eorum uerba, ſunt Kabalæ uerba (quod perinde eſt ac ueriſſima, atque certiſſima.) & nos incedimus ac palpamus quemadmodum cæci in pariete, ut ſuſtentemus

nos

nos ad illum. Ac licèt uideatur nobis uerba noſtra eſſe uera ac recta, nihilominus tamen eſt nobis abijcienda ueritas in terram, quoniam ueritas cum illis eſt. Hæc ille Hiſpanns.

CLXIX בְּרִיחֶיהָ Nomen eſt plurale maſculinum cum affixo fœminino. Singulare eſt בְּרִיחַ id eſt, uectis. Radix eſt בָּרַח id eſt, fugit. Kametz ſub beth in ſcheua eſt commutatum, propter affixum.

CLXX תּוֹרָה nomen fœmininũ eſt, cuius duplicem tradit Kimhi radicem. Primum enim deriuat à radice יָרָה id eſt docuit: & tunc thaf erit heemanthica litera, & primò radicalis iod in uaf conuerſa. Deinde uerò à תּוּר id eſt, explorauit, & tunc thaf & uaf erunt radicales literæ, ac utraque etymologia rei conuenit. Eſt enim lex, doctrina mandatorũ Dei, quid facere, quid omittere deceat, docens, &

in eum

in eum finem à Deo data ac inſcripta, re-
dacta ut quotidie, illam ſcrutemur & ex-
ploremus.

CLXXI נְבִיאַיִךְ nomen eſt maſc. plu
rale cum affixo. Singulare eſt נָבִיא pro-
pheta, in quo iod heæmanthicum eſt. un
de uerbum paſſiuæ cõiugationis niphal
נִבָּא Ezechiel. duodecimo. Eſt autem pri
ma radicalis nun per dages abſorpta, ne
duo nun ab initio concurrerent. Cur ue-
rò prophetandi uerbum apud Hebræos
paſſiuum ſit. Kimhi hanc rationem red-
dit, quòd prophetia recipiant à deo: non
enim ut Petri ſecunda epiſtola, capite pri
mo, dicitur, Prophetia humana uolunta-
te allata eſt. Porrò Hieremiæ XXVI. pro
aleph ponitur iod. & ſic primi Samuelis
cap. decimo, ubi in quarta coniugatio-
ue & ſecundum normam uerborum ter-
tij ordinis, quæ he in iod præcedente hi-
rek

rek, & in infinitiuo in uaf holem mutant, reperitur.

CLXXII חָזוֹן Nomen est heæmanthicum, ut uides in nun, in fine, aliâs habet iod חִזָּיוֹן id est, uisio: à radice חָזָה id est, uidere uel contemplari simpliciter uel prophetare: ita ut Visio, sit Prophetia. Prophetis enim per spectra quædam & uisiones uoluntatem suam olim & futura Deus reuelauit. Vnde Prophetæ dicti sunt uidentes, ut habes primi Samuelis, & secundi Paralip. trigesimotertio.

Versus decimus.

CLXIII יֵשְׁבוּ Futurum est tertię personę plurale mascul. kal, à radice יָשַׁב id est sedit: solent nanque uerba tertij ordinis incipientia à iod, primum radicalem iod abiicere, ac per zere longum punctum repræsentare, in prima coniugatione kal, atque tunc dicitur pepoal iod quiescere

post

poſt zere. Rurſus hoc loco rabi Salomo ineptit. Scribit nanque ex ſententia Midraſch Aggada. Nebukad Næzar in terram illos collocauit, quum Zidkijahu rebellaſſet ac iuramentum ſuum uiolaſſet. Venit ergo ac conſedit in Daphnah Antiochiæ, iuſſitq́ uocari Sanhedrin, quos quũ obuiam ſibi progreſſos uideret pulcherrimos eſſe uiros, collocauit in cathedris aureis, illisq́ dixit, Percurrite mihi legem ueſtram per ſingula capita, eiusq́ interpretationem ſubiungite. Quumq́ illi perueniſſent ad caput uotorum, dixit illis, nónne ſi (is qui uotum uouit) irritum facere uotum ſuum uoluerit, poterit hoc facere? Reſponderunt illi, Ibit prius ad ſapientem aliquem, qui abſoluat eum ab hoc uoto. Quibus ille rurſus dixit, Ego poſtquàm res ita ſe habet, uos eſtis qui à uoto ſuo abſoluiſtis

Zidkij

Zidikiiahu Regem. Quamobrem iussit suis, qui illos corripientes in terram collocarunt, ac capillos capitum illorũ connectentes, ac equinis caudis alligantes, hinc inde illos distraxerunt. Hæc nugator ille.

CLXXIIII יִדְּמוּ Futurum est plurale tertiæ personæ à radice דָּמַם siluit, & regulariter debebat scribi יִדְּמְמוּ ut secundum dages repræsentaret defectum alterius ex geminatis, sed abiicitur, decori gratia, ut dictio facilior sit prolatu. De primo dages, magna est contentio inter grammaticos: quidam enim putant esse hoc & similia uerba passiuæ coniugationis niphal futura, & dages repræsentare literæ nun passiuæ defectum, alij dicunt esse actiua. Elias in Electo libro, fundamento undecimo, ubi de futuro passiuo loquitur, quædam dicit esse actiuæ, quæ

dam

dam paſſiuæ uocis, eaq́ꝫ ex tenore ſenten tiæ cognoſcenda eſſe ait. Certè hoc loco uerbum præſens eſt actiuę uocis, natura tamen intranſitiuum, ideoq́ꝫ minimè capax paſſiui. Notabis etiam hoc loco futura pro præteritis poſita, more Prophetarum.

CLXXV חֶעֱלוּ Pręteritum eſt tertię cõiugationis plurale, à radice עָלָה aſcendis, Vnde in tertia coniugatione dicitur חֶעֱלָה nam uerba quorum prima radicis eſt gutturalis (quę ſimplex ſcheua ſub ſe, & hirek ante ſe auerſantur) pro חִעְלִיה iuxta paradigma חִפְסִיר dicunt חֶעֱלָה Proinde uerba quinti ordinis deſinentia in he, non habent in tertia cõiugatione iod ante ultimam radicalem, nam ea ratione oporteret duas literas, easq́ꝫ quieſcentes, uno puncto hireck proferri, quod fieri nequit.

CLXXVI עָפָר nomen eſt ſignificās puluerem, terram. Sunt autem quatuor uocabula terræ, quæ tametſi aliquando καταχρηστικῶς unum pro alio ponantur, tamen ita ea differre docet rabbi Kimhi: & ſunt hæc,

עָפָר ſignificat propriè puluerem, tenuiſſimũ ſcilicet, ut inquit Kimhi, quod eſt in terra.

אֲדָמָה denotat humum, & aliquando puluerem, primi Samuelis quarto cap. & agros, Prouerb. duodecimo.

תֵּבֵל ſignificat Partẽ terræ habitabilẽ.

אֶרֶץ Generaliter terram ſignificat habitabilem & incultã, quod nõnunquam & ſecunda uox ualet, ſcilic אֲדָמָה

CLXXVII רָאשָׁם nomen eſt primitiuum, ſignificat caput, uerticem montium, principiũ ac originem cuiuſq; rei. Habetq; hîc mem in fine affixum maſcul.

plurale

plurale tertiæ perſonæ. Paulò pòſt eſt cũ eo nun affixum plurale fœmininum tertiæ perſonæ.

CLXXVIII שַׂקִּים Plurale eſt à ſingulari שַׂק ſaccus, mirum ſanè nomen, quia in omnibus ferè linguis hanc ſuam retinet appellationem. radix eius eſſe poteſt שָׂסַק quod dages ſubindicare uidetur Kimhi in Radicibus, hunc locum explicans, ait, ſoccum eſſe genus ueſtimenti laneum, aut cinguli, quæ homo ſuper carnem ſuam inducit, eſtq́ʒ craſſum, paruum & durum ueſtimẽtum, quoniam tempore luctus & anguſtiæ induunt illud, uel accingunt ſe cum illo homines. Hæc ille.

CLXXIX הוֹרִידוּ Præteritum eſt tertiæ actiuæ coniugationis plurale, à radice יָרַד Verba enim tertij ordinis incipientia à iod in tertia cõiugatione mutant iod in uaf holem. Eſt enim literarum

quieſcentium mutuus ſymboliſmus.

Verſus undecimus.

CLXXX כָּלוּ Præteritum eſt plurale tertiæ perſonæ, coniugationis primæ actiuæ, à radice כָּלָה quæ conſummari ſignificat. Porrò quæ ſit inflexio in pręterito uerborum deſinẽtium in he, iam antè perſcripſi.

CLXXXI כְּבֵדִי Nomen cum affixo primæ perſonæ ſing. abſolutè כָּבֵד id eſt hepar: de quo rabbi Moſche de Kozi, in libello Præceptorum affirmat: pręcepto tertio ita ſcribit, עָשָׂה לוֹ הַכָּבֵד לְצַד יָמִין עִם הַמָּרָה הָאֲדֻמָּה לְחַמֵּם הַקֶּרֶב הָעֶלְיוֹן וּלְ וּלְבַשֵּׁל הַמַּאֲכָל hoc eſt, fecit illi (deus ſcilicet) hepar in latere dextro cum flaua bile, ad calefaciẽdum inteſtinum ſuperius, & ad coquendum cibum.

CLXXXII בְּעָטֹת Infinitiuus eſt paſſiuæ coniugationis primæ, cum defectu he, quę

he,quę in hoc paſſiuo infinitiuis & impe ratiuis pręponitur:nam integrè ita ſcribenda erat hęc uox בְּהֵעָשֵׁת Solet autem in hac coniugatione in infinitiuo & imperatiuo nun figuratiua abijci,& pro illa dages in prima radicali collocari:quia uerò forte dages nõ poteſt primam dictionis literam occupare:ideo in his duobus temporibus præponitur litera he,ut dages forte uim ſuam exerere poſſit, ut à נִפְקַד dicimus in infinitiuo הִפָּקֵד Atqui in ijs uerbis quorum prima litera eſt gutturalis:ideoq́ puncťuli dages minimè capax,eam ob rem mutatur hirek ſequente dages in zere,dicimusq́ à נֶעֱשַׁת in infinitiuo הֵעָשֵׁת Porrò uocis huius radix eſt עָשַׁת incuruari,affligi,triſtitia affici,deliquium animi pati,deficere.

CLXXXIII בְּרְהֹבוֹת קִרְיָה Prima uox plurale eſt fœmininũ,in ſingulari maſcu-

linum eſt רְחֹב platea, à radice רָחַב latus uel amplus fuit.

Altera, nomen eſt fœmininum, idem quod עִיר ciuitas. Radix eius eſt קָרָה uerbum uariȩ ſignificationis.

Verſus duodecimus.

CLXXXIIII לְאִמֹּתָם In hac uoce lamed eſt datiui caſus articulus. Mem in fine affixum eſt plurale maſculinum tertiȩ perſonæ. Singulare eius eſt אֵם mater, quod ad dages in mem attinet, quod hîc uides, ſcias illud eſſe unà cum præcedente hirek loco longȩ uocalis zere poſitũ. Iam autem ſemel atq; iterum de ȩquipollentia hac dictum eſt, maximè uerò in ultimo capite ſecundi libri. Vel poſſumus dicere, dages repræſentare alteram ex geminatis, ut ſit radix eius אָמַם Notabis autem futurũ, quod ſtatim ſequitur, pro prȩterito poſitum eſſe, pro more.

CLXXXV אַיֵּה Aduerbium eſt quę rentis de loco, aliâs ſine he & dages dicimus אֵי ut ſecundi Samuelis primo cap. אֵי מִזֶּה תָּבֹא quod Kimhi ita interpretandum docet מִזֶּה הַמָּקוֹם שֶׁתָּבֹא אֵי הוּא id eſt, locus unde uenis ubi eſt? Sed rabi Ionah arbitratus eſt inuertēdas particulas hoc pacto מֵאֵיזֶה מָקוֹם תָּבֹא id eſt, ex quo loco uenis, &c.

CLXXXVI בְּהִתְעַטְּפָם כֶּחָלָל Prior uox infinitiuus eſt quartę coniugationis cum affixo tertię perſonę plural. maſcul. Radicem habes CLXXXII numero.

Altera dictio, nomen eſt formale loco paul, ut inquit Kimhi, à radice חָלַל ſauciare. Caph ab initio eſt ſimilitudinis, habetq; incluſum he demōſtrationis, quod ante gutturalem pūctatam cum cametz habet ſegol.

CLXXXVII בְּהִשְׁתַּפֵּךְ Infinitiuus eſt

quartę coniugationis à radice שָׁפַךְ effudit. Et notandum est hîc, literam thaf figuratiuam quartę coniugationis contra regulam primę radicali, cui pręponi debebat, postpositã esse, euphonię gratia: difficulter enim & per κακοφωνίαν diceremus בְּהִתְשַׁפֵּךְ Sed de hac re, uide quę in primo libro post quartam coniugationẽ statim in Appendice annotauimus.

CLXXXVIII חֵיק nomen est significans gremium uel sinum, Ezechiel. XLIII. pro medietate terrę, metaphoricè accipitur. Significat propriè tantum mensurę, quantum duo brachia comprehendunt, ut ait Kimhi.

Versus decimustertius.

CLXXXIX מָה־אֶעֱשֶׂה Quia prima hæc uocula magni est usus, ideo ex Dictionario Kimhi de significatione eius, et ex Grammatica eiusdem quam uocauit Michlol,

Michlol, de punctatione eius nonnulla afferemus. De significatione ita scribit Kimhi, מה המלה הזאת שאלה לדעת ענין הדבר היאך הוא או מה הוא ואין המלה הזאת שאלה על חי מדבר אלא מלת מי היא שאלה עליו׃ Hoc est, dictio hęc מה quęrentis est de re aliqua qualis nam, aut quæ illa sit, neq; de persona hominis quærit, quũ id fiat per dictionē מי Hoc est מה quęrit de re, מי uerò de persona. Ponitur autem dictio מה pro מתי quando, quousque. Psal. IIII & LXXIX. Et quando ei lamed seruilis præponitur, tunc significat quare, quamobrem. Exodi V. Genes. XII. Iosue VII. I Samuel. I. Quin & schin unà cum lamed huic uoculę prępponitur, Cantic. I. Aliquando lamed non est positum, subintelligi tamē debet, ut Iob septimo. Porrò, admirationis ac amplificationis quandoq; est nota. Psal. XXXI. Cantic. IIII.

Psal

Psal. VIII. uersu secundo. Quandoq; & extenuationis ac contemptus est particula, ut eodem Psal. VIII. uersu V. Numer. XVI. Aliquando indefinitæ ac non determinatæ rei est indicatio, ut II Samuel. XVIII. וִיהִי מָה אָרוּץ quod ita interpretandum est, teste Kimhi, וִיהִי מָה שֶׁיִּהְיֶה אֵינִי חוֹשֵׁשׁ אָרוּץ hoc est, fiat quicquid futurum sit, ego nō curo, quin potius curram ac nunciabo. Ita etiam Iob decimotertio capite, וְיַעֲבוֹר עָלַי מָה כְּלוֹמַר נַעֲבוֹר עָלַי מָה שֶׁיַּעֲבוֹר וְאֵינִי חוֹשֵׁשׁ hoc est, & transeat super me מָה quasi dicat, transeat super me quicquid transiturum sit, ego non curo. Huic etiā uoculæ caph litera seruilis præfigitur, & tunc quærenti de quantitate, continua scilicet & discreta (sicut אֵיךְ de quo suprà numero primo, de qualitate rei interrogat) est particula. Exod. X. cap. quamuis cum kaph etiam amplificationis &

nis & extenuationis ſit nota, ut Zach. VII. & Iob duodecimo. Hactenus ſignificata uocis מַה expoſuimus, nunc punctationes eius explicemus. Punctum ergo genuinum eſt kametz, quum uerò per makaph ſequenti uoci annectitur, tunc habet paſſach: ſimiliter quando cum makaph eſt, aliquando habet ſægol, idq́ in uigintiquatuor locis, annotante id Maſorah. Quando poſt ſe habuerit dictionem incipientem à cheth uel ain, tunc eſt cum zere punctatum, exceptis quinque locis ubi habet kametz. Geneſ. trigeſimo primo. II Reg. octauo. Malach. ſecundo. Eſdræ ſexto. Danielis IIII. & duobus alĳs locis, in quibus eſt paſſach, Geneſeos trigeſimoprimo capite, Iob uigeſimoprimo. Quando poſt ſe habet הוּא uel הִיא tunc ſemper habet paſſach. Kaph & litera beth cum paſſach ſequente dages (nec

tamen

tamen defectum he demonstratiui refe-
rente) illi preponuntur, Genes. xv. Exo.
x. Psal. LXXV. Aliquando habent genui-
num suum punctum scheua, Ecclesiastis
tertio. Quãdo illi lamed prefigitur, tunc
habet prima radicalis dages, eritq; utraq;
syllaba cum kametz notata, & accẽtus in
priori, ut Psal. II. uersu I. Quum uerò se-
quitur dictio, quæ ab una ex his literis
אחע incipit, tunc non aderit dages, & ac-
centus in secunda syllaba ponetur, Gen.
XII. Excipe II Samuel. II. Psal. XLIX. Hiere.
XV. &c. in quibus contra datam regulam
ante aleph & he לָמָּה cum dages & ac-
centum in priore syllaba ponitur. Sicut
& ante alias quàm gutturales literas lam
mah sine dages & cum accentu in poste-
riore syllaba inuenitur, Iob VII. cap. &c.
Postremò, quando lamed ante hanc uo-
cem punctatam cum segol ponitur, tunc
dages

dages excluditur, & accentus in prima ſyllaba ponitur, ut 1 Samuel. 1. Atque hęc hactenus.

Altera uox, uerbum eſt futurum primę perſonę tertię cõiugationis. id quod iod indicat, cum affixo fœminino ſecundę perſonę ſingul. nam kaph quando habet kametz ſub ſe pręcedẽte ſcheua, tunc eſt affixum maſcul. ſecundę perſonę ſingul. Si uerò habet ſub ſe ſcheua pręcedente zere uel kametz uel hirek, tunc eſt fœmininũ eiuſdem perſonę & numeri, niſi quòd propter finẽ periodi puncta in maſculinis aliquando tranſponũtur, ut pro לָךְ in maſculino dicamus לָךְ Radix huius uocis numero XXXI & C. extat, ſignificat teſtari. Vatablus hoc principiũ huius uerſus ita explicat, Quid teſtificabor tibi? id eſt, quid teſtibus probabo accepiſſe tantam cladem quam accepiſti, ô filia?

lia? siue, quámnam gentem adducã quæ tam horribile pro peccatis suis sumpsit iudicium, sicut tu? uel quem populum assimulabo tibi, qui tam duro percussus sit supplicio? Tantis enim flagellis castigatus es, ut ea sæuiẽtis maris procellis comparari possint.

¶ Hucusque secum de calamitate populi Israelitici locutus est Propheta, iam populum alloquitur.

CXC אֲדַמֶּה Futurum est secundæ coniugationis actiuæ, primæ personę singul. à uerbo דָּמָה similem esse, quod in prima coniugatione est neutrum ac absolutum: in secunda uerò fit transitiuum. Porrò in dictione הַבַּת he est uocatiuũ, quod in punctatione ab he demonstratiuo nihil differt. Est igitur utrunque ex tenore sententiæ discernendum & cognoscendum.

CXCI

CXCI אֲשְׁוֶה futurum eſt tertiæ con iugationis actiuæ, denotante id paſſach ſub aleph. Radix eſt שָׁוָה id eſt, ſimilis fuit: inde in hiphil הִשְׁוָה id eſt, ſimilem fecit, comparauit. Annotat hic rabbi Salomo in hæc uerba, Quum uenit tribulatio ſuper aliquem hominem: dicunt ei, Etiam alijs hominibus talia acciderunt: quæ res conſolari poteſt.

CXCII וַאֲנַחֲמֵךְ Vaf, ab initio eſt copulatiua, habetq́ paſſach, quia gutturalis punctat ſe & præcedentem, hoc eſt, quale compoſitũ punctum habuerit gutturalis, tale ſimplex habebit præcedens litera. Caph in fine affixum eſt ſecundæ perſonæ fœminini ſingularis. Verbum eſt futuri temporis piel, ut oſtẽdunt puncta: dages non potuit collocari in media radicali, quia eſt litera gutturalis. De hoc uerbo, numero decimoſeptimo.

CXCIII כַּיָּם שִׁבְרֵךְ Prima dictio habet ab initio caph ſimilitudinis, includẽs he demonſtratiuum. Nomen eſt, ſignificat mare: cuius radix (ut inquit Kimhi) eſt יום Ideoq́ poſſumus dicere poſt kametz quieſcere uaf, ſicut à uerbo קום dicimus קָם uel יָמוּם adeoq́ habet in plurali יַמִּים cum dages, quod repręſentat literam duplicatam mem. Solet etiam in ſcripturis, plaga occidẽtalis nomine maris appellari, Geneſ. XXVIII. eo quòd terrę Iſraeliticæ mare mediterraneum ſit occidentale.

Altera dictio, nomen eſt cum affixo fœminino, aliâs שֶׁבֶר confractio, à radice שָׁבַר confregit. Porrò Chaldæus paraphraſtes hanc particulam ita reddidit, אֲרוּם סַגִּי תְּבָרֵיךְ כִּסְגִיאוּת תְּבִיר גַּלֵּי יַמָּא רַבָּא בְּעִידָן נַחְשׁוֹלִית hoc eſt, Quoniam multiplicata eſt confractio tua ſecundum multitudinem

titudinem confractionis fluctuum maris magni tempore tempestatis eius.

Versus decimusquartus.

CXCIIII שָׁוְא וְתָפֵל Prima uox significat mendacium: nam ita transtulit Chaldæus שִׁקְרָא id est, mendaciũ: & aliquando aduerbialiter pro frustra, Exodi uigesimo, ubi dicitur, Non assumes nomẽ dei tui in uanũ: quo præcepto admonemur, sanctissimo dei nomine non frustrà, nec nisi summa in necessitate, ubi scilicet gloria Dei & utilitas proximi id postulauerit, utendum, &c. Radix uocis est שָׁוָה Porrò ultima radicalis he in aleph conuersa est. Rabi Ionah putauit nomen esse ad formam סַר de quo numero CLXIIII. ac aleph esse paragogen.

Secunda uox ferè eiusdem cum præcedenti est significationis: nam significat teste Kimhi, דָּבָר גָּרוּעַ שֶׁאֵין לוֹ טַעַם id est,

res insulsa, uana, quæ non habet rationē.

CXCV גִּלּוּ עַל עֲוֹנֵךְ Prima uox præteritū est plurale piel, ut uides in dages. radix est גָּלָה reuelari, inde גִּלָּה reuelare.

De altera ac tertia, uide suprà sextodecimo & nonagesimotertio, nisi quòd hîc notabis Hebraismum, Non reuelarunt super peccatum tuum, & quòd peccatū pro pœna peccati sępe accipitur: sic enim transtulit Chaldæus, וְלָא פַּרְסִימוּ יָת פּוּרְעֲנוּתָא דַּעֲתִיד לְמֵיתֵי עֲלַיִךְ בִּגְלַל חוֹבַיִךְ : hoc est, & non manifestarunt ultionem (dei) quæ uentura erat super te propter peccata tua.

CXCVI לְהָשִׁיב שְׁבוּתֵךְ Prima uox est infinitiuus tertiæ actiuæ coniugationis à radice שׁוּב id est, reuersus est.

Altera, nomen est fœmininum cum affixo fœminino captiuitatem significans. Radix est שָׁבָה de qua suprà. Diuersitatem

tem ſcripturæ indicat circulus, nam tametſi in textu ſcribatur iod, tamen uaf ſchurek legi debet. Hanc particulã bifariàm exponunt. primùm, ut auerterent captiuitatem tuam. ſic [redacted] & alij. Chaldæus habet, ut facerent reuerti te in pœnitentia. quem ſecutus Hieronymus habet, ut te ad pœnitentiam prouocarent. Vtraque ſanè optima eſt iuterpretatio.

CXCVII וַיֶּחֱזוּ uaf ab initio cõuertit futurum in præteritum, & notandũ eam hîc nõ eſſe copulatiuã, ſed aduerſatiuam coniunctionem, quare Chaldæus habet אֱלָהֵין ſed, uerùm. Verbum eſt futurũ plu. tertię perſonę maſ. coniug. kal. radix חָזָה

CXCVIII מַשְׂאוֹת nomen eſt fœmi. plur. heæmanthicum, in ſing. eſt מַשָּׂא onus, prophetia grauis, à radice נָשָׂא tulit, quod ore humano afferat, ideoq; habes dages quod repræſentat primã radicalẽ

nun, tametsi illud dages in plurali excide rit, euphoniæ gratia: neque tamen in omnibus exemplaribus dages est abiectum in hac uoce.

CXCIX [redacted] nomen est plurale masculinum, heæmanthicum, singulare מַדּוּחַ id est, expulsio, à radice נָדַח id est expulit, uel propulit: dages in hoc nomine primã radicalem nun abiectam ostendit, pro more. Rabi Salomo hanc clausulam ita interpretatur, הִדִּיחוּךָ מֵעָלַי id est, abiecerunt te à me, uel repulerunt te ad me: hoc est, in causa fuerunt, quo mitius ad me per pœnitẽtiam redires. Aben Esra habet, שֶׁהִדִּיחוּךָ מִדֶּרֶךְ הַיְשָׁרָה id est, quia à uia recta te repulerunt. [redacted] omnium optimè locum hunc reddidit, Sonder haben dir gepredigt lose predigt/damitt sie dich zum landt hinauß predigten.

Versus

Versus decimusquintus.

CC ספקו עליך כפים Prima uox uerbum eſt tertiæ perſonæ plurale præteriti kal, radix eſt ספק ſignificat complodere manus, quod eſt lætantium ſuper alieno infortunio.

Tertia dictio, nomen eſt duale, ut apparet in punctatione. Singulare eſt כף ſignificat propriè uolam manus, & inferiorem partem pedis. Radix eſt כפף id eſt, curuare: dages in hoc nomine oſtendit defectum alterius ex duplicatis. Quadrat autem optimè etymologia: quum enim uolam facere uolumus, ſolemus manum concauam reddere, ac quaſi incuruare, &c.

CCI שרקו ויניעו Prior uox præteritum eſt kal plurale: radix eſt שרק Eſaiæ quinto, ſibilare.

Altera dictio, futurum eſt tertiæ con-

iug. actiuę, tametsi iod cõiugatiõis quod post נ ponendũ erat, defecerit: innuente tamen hoc puncto hirek. Radix נוּעַ motus est, inde in hiphil הֵנִיעַ commouit.

CCII הֲזֹאת he ab initio est quærẽtis, admirantis ac subsannantis particula: ideoq́ꝫ ad discrimen he demõstratiui habet hateph passach, de qua re uide librum secundum. Porrò uox ipsa est demonstratiuum pronomẽ singulare fœmininum. Masculinum eius est זֶה ut in uersu sequenti uidetis.

CCIII שֶׁיֹּאמְרוּ schin ab initio, relatiui & coniunctionis quòd, uim habet: est hîc cum genuina sua punctatione posita. Plura si uoles, de hac litera seruili cognoscere, uide secundum librum. Verbum est futurum kal plurale tertiæ personæ. radix est אָמַר dixit, aliquãdo etiam significat cogitare. Exodi secundo. De huius

uerbi

uerbi proprietate, & quo pacto à דבר id
est, locutus est, differat, ita annotauit rab
bi Kimhi, in radice eius, וענין הבל כמו
אמירה אלא שיש הפרש ביניהם בשמוש ה
הלשון כי האמירה אינה מבלי סמיכה אל אחר
והדבור הוא מבלי סמיכה אל אחר כי הוא מ
מורה על עקר הדבור שהוא באדם כמו שה
שתאמר אדם חי מדבר ולא תאמר אדם חי א
אומר אלא אם תסמכנו פלוני אומר לפלוני ו
ואת על פי שאין הסמיכה בתיבה לפעמים ה
הענין מובן כי המאמר עם הסמיכה כמו א
אמרי נא אחותי את כי בוראי ירצה לומר אמרי
לשואלים אותך ובן הדומים לו על זה הדרך
ולא יאמר לשון דבור על שאינו מדבר אפילו
דרך משל כמו שיאמר לשון ספור והגדה
כמו ויאמרו לך חננו ועות השמים ויגד לך
ויספרו לך דגי הים ׃ ובן בקשר יש הפרש
ביניהם כי המאמר קשור עם אל ועם למד
השמוש לבד והדבור קשור גם כן עם בית
השמוש ועם את ולא כן המאמר ׃

 Hoc

Hoc eſt, Omnia quæ deſcendunt à דִּבֵּר eiuſdem ferè ſunt ſignificatiōis, cuius eſt אָמַר niſi quòd inter illa duo, quod ad uſum linguæ attinet, quædam eſt differentia. Verbum nanq; אָמַר nunquam ſine coniunctione ad aliud, ſed uerbum דִּבֵּר non neceſſe habet coniūgi ad aliud, nam ſignificat propriè uim loquēdi quæ eſt in homine: dicimus nanque אָדָם חַי מְדַבֵּר id eſt, homo uiuus loquens, contrà dicere non poſſumus אָדָם חַי אוֹמֵר id eſt, homo uiuus dicens: niſi ad aliud coniungatur, & dicamus פְּלוֹנִי אוֹמֵר לִפְלוֹנִי id eſt, quidam dixit alicui. Proinde etiāſi illa coniunctio ad aliud non ſemper expreſſè ſcripta ſit, tamen ſubintelligenda eſt: ut, Dic ſoror mea tu. Geneſeos duodecimo. certè nihil aliud uult, quàm Dic ijs, ſcilicet qui te rogabunt, atque ita in reliquis ſemper coniunctio ad aliud ſubintelligi

telligi debet. Deinde uerbum דִּבֵּר nunquam cadit in ea quæ loqui nesciunt, etiã metaphoricè uel per prosopopœiam, ut in alijs uerbis narrandi, annunciandi, & dicendi, solet fieri: ut, Et dicent tibi, ecce nos. Iob trigesimooctauo, Et uolucrem cœli, & annũciabit tibi, Iob duodecimo. Et narrabunt tibi pisces maris, Ibidem. Postremò in constructione quoque est differentia, nam אָמַר construitur tantùm cum præpositione אֶל id est, ad, & cum lamed seruili litera. Sed uerbum loquendi preter hæc etiam, admittit post se beth seruile, & articulum אֶת quod in uerbo dicendi, non admittitur. Hæc ille.

CCIIII בְּלִילַת יֹפִי מְשׂוֹשׂ Prima uox nomen est formale fœmininum, nam he fœminina terminatio, propter constructionem in thaf est commutata. radix est בָּלַל de qua suprà decimooctauo. Kimhi

 ita

ita exponit, שֶׁבּוּלָּה יוֹפִי id eſt, quæ tota erat pulchritudo. Hieronymus, perfecti decoris. ſic etiam Thargum, hoc eſt, de qua prædicabant abſolutam pulchritudinem, &c.

Altera dictio, nomen eſt ſignificãs pulchritudinem, radix eius יָפָה pulcher fuit.

Tertia dictio, nomen eſt heæmanthicum ſignificans gaudium, lætitiam. radicem uide CXXIX numero.

Verſus decimusſextus.

CCV פָּצוּ uerbum eſt præteritũ plurale coniugationis kal, radix eius eſt פָּצָה idem ſignificans quod פָּתַח aperuit.

CCVI וַיַּחַרְקוּ שֵׁן Prior dictio futurum eſt plurale tertiæ perſonæ coniugationis kal uerſum in præteritum per uaf hippach. Radix eſt חָרַק quæ ſignificat frendere dentibus.

Altera dictio, ipſa eſt radix, nomen ſcilicet

licet dentem significans: in plurali habet שִׁנַּיִם cum dages, quod radicem eius שָׁנַן esse subindicare uidetur.

CCVII אַךְ hæc particula, diminutionis nota est, idemq́ ualet quod apud Latinos saltem, Gen. XVIII. Exo. X. Accipitur etiam pro אֲבָל sed, uerùm, atqui, Leuit. XXIII. Num. XXXI. Exo. XXI & XXXI. Esaię XLIII. Gen. XXVI. Est & aliquando asseuerationis & affirmationis particula, ut in hoc loco, & Gen. XXIX. 1 Sam. XXV. 1 Reg. XXII. Iere. V. Esa. XXXVI. Psal. LXXIII. quare etiam inquit Kimhi, plerũq; principium sermonis in hac significatione occupat, ut in Psal. LXXIII. Aliquando & dubitandi est particula, Geneseos quadragesimo tertio capite. Psalmo cẽtesimo trigesimo nono. Ponitur & cum alia dictione רַק in prima significatione, Numerorum capite duodecimo.

CCVIII שֶׁקִּוִּינֻהוּ Preteritum eſt piel plur. cum affixo tertiæ perſonæ ſingul. maſcul. coniugationem indicat dages in uaf. radix eſt קָוָה id eſt, expectauit, ſperauit, &c. Iod ex he tertia radicali eſt mutatum, eſt enim magna affinitas literarũ quieſcentium. Porrò ſub nun, kybutz eſt loco uaf ſchurek, nam ita ſcribendum erat קִוִּינוּהוּ Notabis etiam hoc loco Hebraiſmum, profectò hic eſt dies, quòd expectauimus eum, id eſt, quem expectauimus. Sic enim Hebræi relatiuis utuntur, nimirum coniuncta coniunctione, quod cum affixo. Poſtremò pulchrum homioteleuton, & ſynatriſmon multorum uerborum ſine intercedente copula, hîc attende: indicãt enim ſummum affectuum impetum.

Verſus decimuſſeptimus.

CCIX אֲשֶׁר זָמַם Secunda uox eſt

ipſa radix, ſignificat cogitare: & notandũ quòd loco paſſach ſub mem poſitum eſt kametz, propter accentum reuiah diſtinguentẽ, ſicut & paulò infrà in hoc eodem uerſu, in uerbo חָמַל accentus enim commutant breuia puncta in longa.

Quod ad primam particulam attinet, quidam ſubaudiunt caph ſimilitudinis, ut ſit כַּאֲשֶׁר quemadmodum cogitauit. Alij ſimpliciter relatiuum legũt, Fecit dominus quæ cogitauit. ita & Thargum.

CCX בִּצַּע אֶמְרָתוֹ Prior uox uerbum eſt coniugationis piel. Solent autem illa deſinere uel in zere, uel in paſſach, maximè quum ultima radicalis fuerit gutturalis. Aben Eſra uocem per כַּלֵּה conſummare, citatq́ locum Zachar. quarto. Kimhi per הִשְׁלִים id eſt, perficere, interpretatur, ſed coincidunt in unã ſignificationẽ.

Altera, nomen fœmininũ eſt cum affixo uaſ

xo uaſ holem tertiæ perſonæ maſcul. ſingular. אִמְרַת id eſt, uerbum, dictum, ab אָמַר Habet autem hîc loco hirek, ſegol.

CCXI מִימֵי קֶדֶם In prima uoce mem eſt præpoſitio, & euphoniæ gratia ab illo deſideratur dages, quod in iod propter defectum nun dictionis מִן id eſt, ab, ponendum erat. rationem ſuprà quære in ſecundo libro, in officio mem.

De altera uoce, numero LI.

CCXII וַיְשַׂמַּח uerbum eſt futurum piel, ut in dages & punctatione uidere eſt, eſt conuerſum in præteritum per uaſ hippuch: uides enim illud habere paſſach, dages abiecto: nã in futuris piel uaſ conuerſiuum, nunquam poſt ſe ponit dages, ut in alijs coniugationibus ſolet, quę regula bene notanda eſt. Radix eſt שָׂמַח lætatus eſt, abſolutè: in piel שִׂמַּח id eſt, lætificauit, tranſitiuè: tanta eſt uis coniugationum

gationum, quare illarum significationes probè discendæ sunt, ut iam sæpenumero monui.

CCXIII הֵרִים קֶרֶן Prior uox uerbum est tertiæ coniugationis hiphil, cuius radicem quære signo octogesimoseptimo.

De secunda uoce in uersu tertio huius capitis dictum est, per Cornu, robur, potentia & honor, in sacris Literis denotatur. Placet ad finem huius uersus subijcere, quæ rabbi Salomon de transpositione literarum ain & pe dicit: nam in præcedenti uersu posuit Propheta, pe, & in hoc ain, quę pręcedere debebat: id quod tam in hoc, quàm in sequētibus duobus capitibus à Propheta non sine causa (nobis tamen incognita) factum est: conatur tamen prædictus rabbi Salomon rationem adferre aliquam, ne nihil dixisse uideatur: scribit ergo hac de re hoc pacto.

מִפְּנֵי מַה הִקְדִּים פֶּה לְעַיִן מִפְּנֵי שֶׁהָיוּ אוֹמְרִים בְּפִיהֶם מַה שֶּׁלֹּא רָאוּ בְּעֵינֵיהֶם hoc eſt, quare præpoſuit (propheta) pe literam ipſi ain? quia dicebant (homines ſcilicet ſui ſeculi) ore ſuo, quod non uiderant oculis ſuis. Hæc ille. Eſt autem alluſio uocum, nam pe ſignificat os, & ain oculum, apud Hebræos.

Verſus decimusoctauus.

CCXIIII חוֹמַת בַּת צִיּוֹן הוֹרִידִי Tres priores uoces iam explicatæ ſunt, niſi quod annotandum eſt, Hieronymū particulam Super, hîc ſubaudire: tranſtulit enim, Clamauit cor eorum ad dominum ſuper muros filiæ Zion. Alij autem interpretantes legunt uocatiuum, ut ſit apoſtrophe ad mœnia Hieroſolymitana, O mure filiæ Zion deduc, &c.

Quarta uox, imperatiuus eſt ſingularis fœmininus coniugationis hiphil, de

qua plura uide numero CLXXIX.

CCXV יוֹמָם וָלַיְלָה Prior uox aduerbialis eſt, ſignificans interdiu, deriuata à nomine יוֹם mem heæmanthicum eſt.

Vaf in altera uoce eſt copulatiuum, habetq́ kametz, quãdo copulat duo nomina. Porrò uox ipſa numero decimoquarto eſt explicata.

CCXVI אַל תִּתְּנִי Prior uocula negatiua eſt particula, differtq́ à לֹא quod illud prohibendi, & ſimpliciter negandi uim habet. hoc uerò, ut Kimhi ait, ברוב יָבֹא עַל הָאַזְהָרָה או עַל הַתְּחִנָּה וְהַבַּקָּשָׁה׃ id eſt, plerunq; admonitionis, dehortationis, deprecationis & poſtulationis eſt nota. 1 Samuel. 11.

Altera dictio, futurum eſt ſecũdę perſonę fœmininæ ſingul. kal, radicem, uide nonageſimoprimo numero.

CCXVII פּוּגַת nomen eſt fœmininũ

פוּגַת intermiſſio, requies, à radice פוג diſſolutum eſt Notabis hoc loco, he mutatum in thaſ, ac ſi regeret poſt ſe nomen ſine litera ſeruili intercedēte: regulariter enim dicendum erat פּוּגָה לָהּ Quamuis Aben Eſra ſubaudiat aliquā dictionem hoc pacto, Ne dederis פּוּגַת עַיִן לָהּ id eſt intermiſſionem uel requiem oculi, à fletu ſcilicet.

CCXVIII תִּדֹּם בַּת Prior uox futurū eſt fœmininum ſing. tertiæ perſonæ kal: radicem eius & reliqua, quære numero centeſimo ſeptuageſimoquarto.

Altera uox, filiam propriè ſignificat, de qua numero XLII tribuitur, poſtea metaphoricè orbem oculi ſeu nigredinem eius ſignificat, quod ſit tanꝗ filia oculi.

Verſus decimusnonus

CCXIX רֹנִּי imperatiuus eſt fœm. ſingul, à uerbo רָנַן dages in nun repræ-

ſentat

ſentat defectum geminatę literæ. Signifi catio eius eſt, ut ait Kimhi, הצעקה בכח יש מהם לשירה ולשמחה ויש מהם להכרזה ויש לתפלה ויש לבכי ואנקה hoc eſt, clamor for tis (uel, ut ait Aben Eſra, exaltatio uocis) uel in cantico & in lætitia (Zach. II cap.) uel in præconis proclamatione (I Regū XXII.) uel in oratione (Pſal. XVII. & c.) uel in fletu & triſtitia (Thren. II.) Hactenus ille.

CCXX אשמרות nomen eſt heęmanthicū fœm. plurale, in ſingulari אשמורה nam hîc habes kybutz pro uaf ſchurek, ſignificat cuſtodiam, uigiliam. Fuit uerò nox (ut tradunt Hebræi) in treis partes diuiſa: in uigiliam noctis, in uigiliam mediam, & matutinam. rabbi Salomo Exo. XIIII. dicit angelos dei in tres partes ſeu uigilias diſtributos, & nocte per uices triū uigiliarum deo laudem canere. Hæc ille.

Radix uocis eſt שָׁמַר id eſt, cuſtodiuit.

CCXXI שְׂאִי imperatiuus eſt fœmininus ſingularis à radice נָשָׂא eleuauit. Verba enim incipiẽtia à litera nun, in imperatiuo abijciũt primam radicalem, uti hîc factum uides.

CCXXII בְּרָעָב nomen eſt famen ſignificans, à radice רָעַב fameſcere. Notandum eſt autem nomina à uerbis deriuari uel ſola mutatione punctorum, ut in hoc nomine uides, uel adiectione unius uel pluriũ literarũ heemãthicarũ, cniuſmodi iam multa uidimus nomina.

CCXXIII חוּצוֹת nomen fœmininum plurale, in ſingulari eſt חוּצָה id eſt, platea, à radice חוּץ foris ſignificante.

Verſus uigeſimus.

CCXXIIII נָשִׁים פְּרָיִם Prior dictio plurale eſt fœmininum, licet ſub terminatione maſculina: radix eſt אֱנוֹשׁ homo, morta

mortalis,uir:in plurali maſc. אֲנָשִׁים in fœminino abiecto aleph נָשִׁים mulieres. Notabis autem propriã appellationem uiri eſſe אִישׁ & mulieris אִשָּׁה quæ uox à maſculino abiecto iod & repræſentãte dages defectũ eius, deriuatur: quamuis illud dages ſecundum alios repræſentet literam nun, ut dicant אִשָּׁה quaſi אֲנָשָׁה à radice אֱנַשׁ quę ſignificat infirmitatem ac imbecillitatem, & appellationi fœminæ ſatis benè quadrat. Proinde, quando iſcha nomen poſt ſe regit caſum in ſingulari, tunc dages abijcitur, ut loco eius zere ſub aleph ponitur. zere enim & hirek ſequente dages, æquipollent. II Reg. XI. אֵשֶׁת אוּרִיָּה id eſt, uxor Vriæ. Iam duo prædicta nomina regulariter in plurali numero ſecundum analogiam haberent אִישִׁים id eſt, uiri. Prouerb. VIII. & אִשּׁוֹת mulieres. Ezech. XXIII. Sed pro his uoci-

bus communiter utimur אֲנָשִׁים uiri, & נָשִׁים mulieres, ita ut iſch & iſcha, nomina ſint in plurali heteroclita. Poſtremò, non pigebit ex doctrina Cabaliſtica de his duabus uocibus aliquid adferre. Scribunt nanq; Cabaliſtæ, in his duabus uocibus comprehendi duas literas de nomine Dei tetragrammato, יָה ſcilicet, nimirum propter inſtitutionem matrimonij quæ dei eſt, & propter benedictionẽ à deo promiſſam, ſiquidem coniuges piè ſecundum uoluntatem dei uiuant. Quæ duę literę ubi auferantur, nihil remanere niſi אֵשׁ id eſt, ignem, rixas, cõtentiones, ac omnia mala. His adde in appellatione uiri eſſe literam iod, quæ in gematria (ut loquuntur Hebræi) decem ualet, qui numerus eſt perfectiſſimus, in nomine uerò mulieris eſſe tantùm he, quinarium numerũ repræſentans, qui ad decem in proportione

portione relatus imperfectionem mulieris denotat: ac poſtremò in plurali mulieris nomine, aleph capitalis litera aufert, eo quòd ſub poteſtate ſit uiri, qui caput eſt illius. Hæc hactenus.

Altera dictio, nomẽ eſt cum affixo plurali maſculino mem, quod pro nũ fœminino eſt poſitum: nam præcedẽs nomen & uerbum eſt fœmininum. Radix uocis eſt פָּרָה creuit, auctus eſt: inde nomen פְּרִי fructus, mutata ſunt puncta propter affixum, pro more.

CCXXV טִפֻּחִים nomen eſt plurale maſculinũ, de qua D. Sebaſtianus Munſterus ita ſcribit. Eſt טֶפַח propriè menſura palmæ, & hinc transfertur ſignificatum eius, autore Dauide Kimhi, ad infantes, שֶׁמְּטַפְּחִין אוֹתָם וּמְיַשְּׁרִין אֵיבְרֵיהֶם בְּכָל עֵת בְּשֶׁמְּחַתְּלִין אוֹתָם id eſt, Quòd quum inuoluuntur, menſurent eos, &

rectificent membra eorum. Poteſt etiam hîc ſicut & in ultimo uerſu, accipi pro גִּדֵּל id eſt, educare. Chaldæus interpres uertit, inuolutos ſyndone. Hæc ille.

CCXXVI אִם יֵהָרֵג uerbum eſt futurum niphal paſſiui, & nun figuratiuam paſſiui per dages in prima radicali pręcedente hirek referre debebat ſecundum normam יִפָּסֵר ſed quia prima radicis huius litera gutturalis eſt, ideoq́ puncłuli dages minimè capax, cõuerſum eſt hirek ſequente dages in zere pro more. Radix eſt חָרַג occidit. Thargum hanc particulam quaſi reſponſionem ad ſuperiorem querelam, ubi dicitur (nũquid mulieres comedant factum ſuum?) legit: nam ita uertit: Reſpondit menſura iudicij, & ſic dixit, Num etiam decet, uel uiſum eſt unquam, ut occideretur in ſanctuario Domini ſacerdos & propheta, ſicut uos occidiſti

cidiſtis Zechariahu filium Iddo ſacerdotem magnum & prophetam fidelem in ſanctuario Domini, in die propitiationis, eo quòd reprehendiſſet eos, ne malum facerent coram Domino. Rabbi Salomon addit peccatum, quod ſcilicet reprehenderit eos, eo quòd adorarent regem Ioaſch tanquam idolum ex eo facientes. Hæc ille.

Verſus uigeſimusprimus.

CCXXVII שָׁכְבוּ prȩteritum eſt plurale tertiȩ perſonȩ kal: radix eſt שָׁכַב quȩ uaria ſignificat, nimirum corruere, dormire, ȩgrotare, coire, obire diem ſuum.

CCXXVIII נַעַר nomen ſignificans puerum & ſeruum. II Reg. IIII. unde fœminum נַעֲרָה puella. Et nomen pluralis tantùm numeri נְעוּרִים id eſt, iuuentus.

Verſus uigeſimusſecundus.

CCXXIX תִּקְרָא futurum eſt ſecūdȩ

perſonæ kal, radicem uide centeſimo nu
mero. Communiter interpretes per præ
teritum hoc, futurum explicant. Vnus
Chaldæus, futurum uertit, ut ſit oratio:
ſic enim tranſtulit, Promulgare uelis li-
bertatem populo tuo domui Iſraël ope-
ra Meſſiæ, quemadmodũ feciſti per ma-
num Moſche & Aaron, &c.

CCXXX מְגוּרַי nomen eſt plurale
cum affixo ſingulari primæ perſonæ. In
ſingulari מָגוֹר uel מָגוּר terror, à radice
גּוּר timuit, territus eſt, Iob XIX. Aben Eſ-
ra putat hîc aliquid ſubaudiendum, Vo-
caſti tanquam ad diem feſtum אַנְשֵׁי מְג
מְגוּרַי id eſt, uiros terroris mei: id eſt (ut
uertit Hieronymus) qui me terrent. Alij
interpretantur Vicinos meos, eo quòd
prædicta radix ſignificet etiam habitare
cum aliquo ut uicinum.

CCXXXI טִפַּחְתִּי וְרִבִּיתִי Prior uox
uerbum

uerbum eſt perfecti ordinis coniugationis piel præteritum primæ perſonæ, cuius ſignificatum uide CCXXV numero.

Altera uox, ſimiliter eſt uerbum piel, afar primæ perſonæ. Radix eſt רִבָּה id eſt, facere, uel creſcere: hoc eſt, educare, enutrire.

CCXXXII פְּלִיט וְשָׂרִיד Duo ſunt nomina formalia uel uerbalia (ut indicat iod in utroque) eiuſdem ſignificationis, ſignificant reliquias euaſionem. Radices ſunt פָּלַט שָׂרַד id eſt, effugit, euaſit, reliquus factus eſt, &c.

CCXXXIII כִּלָּם uerbum eſt præteritum piel tertię perſonę, ſingularis numeri, maſculini generis, cum affixo plurali maſculini generis, tertiæ perſonæ. Radix eſt כָּלָה id eſt, conſumptus eſt, כִּלָּה conſumpſit: he tertia radicalis, uti hîc uides, quieſcit.

Caput

CAPVT TERTIVM.

Versus primus.

SIgno CCXXXIIII הַגֶּבֶר Nomen est masculinum, à radice גָּבַר id est, prę-ualuit, fortis fuit. he ab initio demonstratiuum est, post hoc nomen subaudiunt quidam relatiuum, ut sit sensus, Ego sum uir ille qui uidit, &c. alij tertiam personā pro prima esse positam aiunt. Volunt autem Hebrei sensum hunc esse huius loci: quasi dicat, Omnes prophetę prędixerūt quidem desolationem templi, quam tamen non uiderunt. Ego uerò eo nomine quoque infelicissimus sum, quòd non tantùm propheta, sed & spectator huius calamitatis sum.

CCXXXV עֳנִי De hac uoce diximus numero uigesimoquarto, ubi cum uaf holem est scripta, hîc uerò habet hatephkametz, quare Aben Esra existimat

eam

eam eſſe in regimine, & caſum qui ab eo regitur defeciſſe, ideoq́ ſubintelligendū ut ſit ſenſus, Ego ſum uir qui uidit afflictionē captiuitatis, &c. Hieronymus habet, afflictionem meam, quaſi iod ſit affixum primę perſonę, fortaſſe Chaldæum ſequutus, qui habet עֲנְיִי id eſt, afflictionem meam.

CCXXXVI בְּשֵׁבֶט עֶבְרָתוֹ Prior uox nomen eſt maſc. ſing. ſignificans uirgam & ſceptrum, Gen. quadrageſimonono. Alterum fœmininum eſt ſing. cum affixo: ideóq; he fœmininum in thaf eſt mutatum. Radix eſt עָבַר id eſt, tranſiuit: inde עֶבְרָה id eſt, ira, furor. Eſt uerò hîc Hebraiſmus obſeruandus, In uirga furoris eius: hoc eſt, in uehementiſſimo ac ardentiſſimo furore eius.

Verſus ſecundus

CCXXXVII וַיֹּלַךְ uerbum eſt futu-

rum

rum conuersum in præteritũ per uaf hippuch coniugationis tertiæ, Radix est יֵלֵךְ ambulauit: de qua numero XL. Inde in hiphil הוֹלִיךְ fecit ambulare: nam uerba incipientia à iod in hiphil, mutant iod in uaf holem, uti hîc uides: tametsi uaf non sit expressè scriptũ, quiescit enim: quod ad finem attinet, dicimus in futuro regulariter יוֹלִיךְ uel יוֹלֵךְ Deuteronomij uigesimo octauo capite, ut zere repræsentet literam iod quiescentem. Quando uerò cum uaf conuersiuo est, & habuerit accentum in superiori dictionis parte, tunc zere in punctum sægol conuertitur, ut וַיּוֹלֶךְ Exodi decimoquarto capite. Si uerò accentus sit in ultima syllaba, tunc sægol conuertitur in punctum passach, ut hîc uides.

Porrò in sequentibus duabus uocibus desideratur præpositio In, ut dicamus

mus, fecit me ambulare לַחֲשֵׁכָה uel בַּחֲשֵׁכָה in tenebras, uel in tenebris.

Versus tertius

CCXXXVIII יָשֻׁב uerbum est futurum kal tertiæ personæ singularis masculini. Radix est שׁוּב id est, reuersus. Estq; kybutz loco uaf schurek positum. Sunt enim pũcta, quæ mutuo symbolismo inter se permutantur.

Versus quartus

CCXXXIX עַצְמוֹתָי nomen est plurale fœmininũ cum affixo iod: quod præcedit passach (de quo suprà LXXXVII) hîc propter finẽ periodi in kametz conuersum. Singulare est עֶצֶם os, & pluraliter עֲצָמוֹת ossa.

Versus quintus

CCXL בָּנָה Est ipsa radix, significat ædificare: subaudiendum est autem aliquid hoc loco, nam ita habet Thargum,

בנה

בְּנָה עֲלַי כַּרְכּוֹמִין וְאַקֵּף קַרְתָּא וְעַקַּר רֵישֵׁי ע
עַמְמַיָּא וְשַׁלְהֵי אִינּוּן hoc eſt, Ædificauit contra memunitiones, & circundedit urbem, & eradicauit capita populorum, ac defatigauit ea.

CCXLI וַיַּקֵּף רֹאשׁ Prior dictio, uerbum eſt futurum tertię coniugationis, ut demonſtrat paſſach ſub iod litera futuri. Porrò, iod coniugationis abiectum eſt propter uaſ conuerſiuū, & appoſita breuis uocalis paſſach: ſic enim regulariter dicendum erat יַקִּיף uel יַקֵּף Radix eſt נָקַף Porrò dages in koph indicat defectum primę radicalis nun.

Altera dictio eſt ęquiuoca, ſignificat caput & fel, utrunqꝫ conuenit loco, ut ſit interpretatio, Circundedit caput, uel circundedit me felle & labore, &c.

CCXLII וַתְּלָאַת uaſ ab initio copula eſt, & mutauit ſuum genuinum pūctum

ſcheua

ſcheua in ſchurek, ne duo ſcheua concur-
rerent ab initio dictionis, de qua re uide
quæ in libro ſecundo diximus. Dictio ip
ſa eſt nomen fœmininum, ſignificat labo
rem, moleſtiam & defatigationem. radix
eius eſt לָאָה id eſt, defatigatus eſt.

Verſus ſextus.

CCXLIII בְּמַחֲשַׁכִּים הוֹשִׁיבַנִי Prior
dictio nomen eſt plurale maſc. heæman-
thicum. Radix eſt חָשַׁךְ id eſt, caligauit.
Solent autem pleraq; nomina huius for-
mæ מַחֲשָׁךְ in plurali dages accerſire, de
quo uide numeros L & LXIX.

Altera uox, uerbum eſt tertiæ coniu-
gationis, uti he & iod indicant cum affi-
xo primæ perſonæ. Radix eſt יָשַׁב Ver-
ba enim incipientia à iod in hiphil, mu-
tant iod in uaſ holem.

CCXLIIII בְּמֵתֵי עוֹלָם Prior uox no
men eſt plurale maſcu. in conſtructione,

R ſingu

ſingulare eius eſt מֵת id eſt, mortuus: à radice מוֹת mortuus eſt.

Altera dictio ſignificat aliquãdo tempus longum uel perpetuum, ſignificat & ſeculum uel mundum, tam præſentem, quàm futurum: præſentem uocant עוֹלָם הַזֶּה futurum עוֹלָם הַבָּא Phraſim uerò Hebræam hoc loco notabis, mortuos æternitatis, pro In ſempiternũ mortuos, uel ut habet Chaldæus, כְּמֵיתִין דְּאָזְלִין לְעָלְמָא אוֹחֲרָן id eſt, ſicut mortui qui uadunt in ſeculum aliud.

Verſus ſeptimus.

CCXLV בַּעֲדִי Hæc dictio ex tribus particulis conflata eſt, ex beth ſeruili, & iod affixo, primæ perſonæ. radix eſt עַד id eſt, uſque: de cuius uocis propria ſignificatione in hanc ſententiam Kimhi ſcribit: Hæc particula quum ante uerbum præteriti uel futuri temporis uenit, tunc

breui

breuitatis gratia: alia dictio אֲשֶׁר omittitur, nam in constructione non nisi nominibus & uerbis, mediante hac dictione ascher, coniungitur: ut עַד שֶׁבִּי pro עַד אֲשֶׁר שֶׁבִּי Ios. II. Et nonnunquã habet iod paragogen præcedente, Nume. XXIIII. Et cum Niniue, in fine Ecclesi. IIII. Quando ei coniungitur ab initio litera beth, tunc significat circùm, ut hîc, Sepiuit circum me: hoc est, circum sepiuit me, &c.

CCXLVI אֵצֵא futurũ est primæ personæ sing. coniugationis kal: à radice יָצָא egressus est, de quo uerbo uide quæ numero CLII diximus.

CCXLVII נְחָשְׁתִּי Iod in fine est affixum: kametz quod hîc uides, est kametz chatuph, de quo numero LXI. Absolutè נְחֹשֶׁת æs, accipitur hîc pro compedibus, qui ex ære fiunt. Sic enim habet Thargũ בְּכַבְלִין דִּנְחָשָׁא id est, compedes æris.

Verſus octauus.

CCXLVIII שָׂתַם תְּפִלָּתִי In prima uoce, quæ eſt ipſa radix שׂ loco ſamech ponitur, סָתַם ſignificat claudere, obſtruere: literę enim eiuſdem inſtrumenti inter ſe facilè cõmutantur, ut iam ſæpe dictum eſt. Porrò poſtremum paſſàch in kametz eſt conuerſum propter accentum.

Altera dictio eſt fœminini generis, & etiam nomen eſt, cum affixo primæ perſonæ, abſolutè תְּפִלָּה id eſt, oratio, à radice פִּלֵּל à qua in quarta cõiugatione uerbum הִתְפַּלֵּל id eſt, orauit. Proinde dages in hoc nomine oſtendit defectum alterius ex geminatis literis. Senſus huius clauſulæ eſt, Obſtruxit uel clauſit orationem meam. quaſi dicat, obſtruxit uel clauſit feneſtras (ut ait rabbi Salomo) firmamenti uel aures ſuas, ne perueniret ad illum oratio mea.

Versus nonus.

CCXLIX בְּגָזִית nomen fœmininum ſignificat lapidem quadrum uel lapidem politum. radix eius eſt גָּזַז unde regulariter dicendum erat גְּזִית ſed pro paſſach ſequente dages uenit kametz longa uocalis.

CCL נְתִיבוֹתַי nomen eſt fœmininũ plurale cum affixo iod primæ perſonæ. In ſingulari habet uel נָתִיב uel נְתִיבָה id eſt, uia uel ſemita.

Versus decimus.

CCLI אֲרִיֵה בְּמִסְתָּרִים Prior uox nomen eſt ſignificãs leonem, dicimusq́ uel אַרְיֵה uel אֲרִי In plurali אֲרָיוֹת Sunt autem multa leonis nomina, quæ D. Sebaſtianus Munſterus in Dictionario ſuo, his uerbis diſtinguit. Et nota, quòd leo apud Hebræos habet ſecũdum diuerſos ætatis gradus, diuerſa nomina. In primo

gradu uocatur גּוּר (id eſt, catulus leonis) in ſecũdo כְּפִיר (leunculus) in tertio אַרְיֵה (id eſt, leo) in quarto לָבִיא (id eſt, leo magnus) & in ſupremo לַיִשׁ (id eſt, leo uetulus) iuxta Dauid Kimhi. Hæc D. Munſterus. Notabis uerò hîc diuerſam eſſe exemplariorum lectionem. Alij enim legunt אֲרִי tametſi אריה ſcriptum ſit, ſed utrunque ſequi poſſumus.

Altera dictio nomẽ eſt plurale maſculinum: quòd ſi terminationem pluralem cum litera ſeruili beth ab initio poſita abieceris, habebis nomen heæmanthicum ſing. radix eſt סָתַר abſcondit.

Verſus undecimus.

CCLII סוֹרֵר uerbum eſt quadratæ cõiugationis à radice סוּר id eſt, receſſit. Quid uerò quadrata ſit coniugatio, ſi co gnoſcere cupis, lege quæ Elias oratione ſecunda, fundamento octauo grammaticæ

ticæ ſuæ, quam Librum electum inſcripſit, annotarit. Quo loco probat non eſſe quadratam coniugationem, uti multi ſomniarũt grammatici, nam pleraq; uerba quatuor cõſtantia literis, ad ordinem quartum pertinent: quæ quum habeant mediam radicalem uaf quieſcentem, non poſſunt ſi in ſecundam ea uelis coniugationem transferre, dages in uaf mediam radicalẽ ſuſcipere (nam ſi reciperent uaf, non amplius eſſet quieſcens, & uerbum deſineret eſſe ſui ordinis) ideoq; loco illius dages ultima radicalis geminatur, & à סוֹר in piel dicimus סוֹרֵר pro סֵיֵר Proinde huiuſmodi uerba quæ quidam quadrata uoluerunt appellata, ad piel pertinere, ac quadratam illam cõiugationem explodendam, docet punctatio literarum characteriſticarum, quæ in his eadem eſt quæ in piel: nam ſicut dicimus,

מְפַקֵּר מְפֻקָּר אֲפַקֵּר תְּפַקֵּר	ita à סוּר in piel dicimus	מְסוֹרֵר מְסוֹרָר אֲסוֹרֵר תְּסוֹרֵר

Reliqua Elias, citato loco.

CCLIII וַיְפַשְּׁחֵנִי Syllaba נִי in fine affixum eſt primæ perſonę. Vaf ab initio conuerſiuum eſt, nec habet ſuum dages poſt ſe, quia cum uerbis ſecundæ coniugationis, nonnunquam habet dages per ſe. Verbum eſt futuri temporis piel, uti dages & punctatio oſtendunt. Significatio eius eſt diſcerpere, in facta concidere, confringere, rumpere.

CCLIIII שָׂמַנִי ni, rurſus eſt affixum. radix uerbi eſt שׂוּם id eſt, poſuit. uaf holem in kametz conuertitur in præterito kal uerborum quarti ordinis, ut iam antè memini.

De poſtrema uoce huius uerſiculi, uide quæ

de quæ ſuprà diximus numero XCI.

Verſus duodecimus.

CCLV וַיַּצִּיבֵנִי uerbũ eſt futuri tem-
poris hiphil, quemadmodum uidere eſt
in iod poſt zade, & paſſach ſub iod futu-
ri, eſtq́ꝫ uaſ conuerſiuũ: ſyllaba ni affixum
eſt primę perſonę, ut iam ſępe monui. ra-
dicem eius uerbi quære numero CLII.

CCLVI כַּמַּטָּרָא Kaph ſimilitudinis
includit he demonſtratiuum, ut uides in
paſſach ſequente dages, quæ propria he
demonſtratiui eſt appellatio. Aleph in fi
ne (teſte Aben Eſra) loco he fœmininæ
terminationis eſt poſitum. Literæ enim
quieſcentes facilè inter ſe permutantur.
Nomen eſt מַטָּרָה id eſt, ſcopus. à radice
נָטַר id eſt, cuſtodiuit. dages ergo in thet
litera nominis ſecunda, repræſentat defe
ctum nun radicalis primæ.

CCLVII לַחֵץ lamed articulus inclu

 dit he

dit he demonstratiuum, dages deſidera-tur: non enim in chet litera gutturali locum habuit. חֵץ nomen eſt, ſignificat ſagittam, in plurali חִצִּים Pſal. CXXVII. in qua dictione dages arguit radicem huius uocis eſſe חָצַץ uerbum geminatum.

Verſus decimustertius.

CCLVIII הֵבִיא בְּכִלְיוֹתָי Prior dictio uerbum eſt hiphil coniugationis tertiæ, à radice בּוֹא

Altera dictio habet ab initio beth ſeruilem, & à fine iod affixum, præcedente paſſach, quod propter accentum in kametz eſt commutatum. In ſingulari כִּלְיָה In plurali כְּלָיוֹת ſed hîc puncta ſunt mutata propter affixum: radix eius eſt כָּלָה que Pſal. LXXXIX & CXIX. concupiſcere ſignificat: unde quidam renes à concupiſcentia dictos eſſe uoluerunt. Nam & renes uſitato tropo in Sacris Literis, pro con-

concupiſcentia & cupiditatibus accipi-
untur.

CCLIX בְּנֵי אַשְׁפָּתוֹ Prior dictio nomen eſt plurale maſcu. in conſtructione, cuius ſing. numero quadrageſimoſecundo uide.

Altera, nomen eſt fœmininum ſingul. mutato he in thaf propter affixum, ſignificat pharetram. Notabis uerò metaphoram & periphraſim, uocat enim tela & ſagittas filios pharetræ, quod in illa contineantur, & inde etiam exeant.

Verſus decimusquartus.

CCLX Omnia ſunt explicata, niſi quòd uox נְגִינָתָם nomen eſt fœmininū cum affixo plurali maſc. ideoq; he in thaf eſt conuerſum, radix eſt נָגַן quod à שִׁיר id eſt, cecinit, ita differt, quòd illud ore, hoc inſtrumentis fiat.

Verſus

Verſus decimusquintus.

CCLXI הִשְׂבִּיעַנִי uerbum eſt præteritum hiphil, cum affixo primæ perſonę: radix eſt שָׂבַע id eſt, ſatiatus eſt. Et notandum eſt, differētia inter hoc quod poſuimus uerbum, quod habet pūctum in ſiniſtro cornu, & ſatietatem ſignificat, & inter שָׁבַע quod in dextro habet cornu, & ſignificat ſeptem & iurare, &c.

CCLXII בַּמְּרוֹרִים beth ſeruilis includit he demonſtratiuum. Vox ipſa nomen eſt plurale maſcul. cuius ſingulare ſi extaret, eſſet מָרוֹר Significatum eius duplex eſt: nam primùm, teſte Rabbi Salomone, Exodi duodecimo, כָּל עֵשֶׂב מַר קָרָא מָרוֹר id eſt, omnis herba amara uocatur maror, deinde metaphoricè pro afflictionibus ſumitur, radix eſt מָרַר

CCLXIII הִרְוַנִי לַעֲנָה Prior uox uerbum eſt hiphil præteriti temporis tertiæ

perſo

personę singul. mascul. cum affixo primę personę. radix est רָוָה id est, abundauit, inebriatus est: tertia radicalis he, hîc quiescit, ut uides.

Altera uox radix est, nomen fœmin. ut he demonstrat, significat absynthium.

Versus decimus sextus.

CCLXIIII וַיַּגְרֵס uaf conuersiua, uerbum est futuri temporis tertię coniug. ut passach sub iod declarat. Porrò zere loco hirek, sequēte litera iod, est positum pro וַיַּגְרִיס Nam quando uaf conuersiuum accedit ad futura hiphil singul. solet abijci iod, & loco eius poni zere. radix est גָּרַס significat frangere.

CCLXV בֶּחָצָץ beth includit he demonstratiuum, quod ante literam gutturalem solet cum sægol punctari. uox ipsa nomen est significans lapillum munitissimum, & hæc intelligunt quidam de Hieremia,

miah, cui in carcere datus eſt panis lapil=lis miſtus.

CCLXVI חִכְבִּישַׁנִי hiphil eſt cum af=fixo primę perſonę à radice כָּבַשׁ quę (ut ait Aben Ezra) in Biblijs non habet fra=trem: hoc eſt, nuſquam extat, pręterquã in hoc loco. Significat operire, uertere, uel (ut habet Thargum) humiliare, deij=cere in puluerem.

Verſus decimusſeptimus.

CCLVII מִשָּׁלוֹם mem ab initio prę=poſitio eſt ablatiui: uox ipſa nomen eſt, aliâs adiectiuè pro eo qui eſt in pace, ut Geneſ. IIII. aliâs ſubſtantiuè, pro pace ſu=mitur. Et tunc phraſi Hebręa omnimo=da, hominis felicitas per hoc uocabulum denotatur, radix eſt שָׁלַם

CCLXVIII נָשִׁיתִי pręteritum eſt pri=mę perſonę ſing. kal, radix eſt נָשָׁה obli=tus eſt, ut uerò uerba quinti ordinis in

pręteri=

prĕteritis coniungentur, iam ſemel atq́ iterum dictum eſt. Quĕ ſequitur mox, nomen eſt fœmininum. radix eſt טוֹב bonus fuit: nomine boni, uerò Hebrĕi intelligunt id quod eſt utile, iucundum, honeſtum & pulchrum.

Verſus decimus octauus.

CCLXIX וָאֹמַר uaf eſt conuerſiuũ, habetq́ kametz, quia dages in aleph litera futuri collocari non poterat, radix eſt אָמַר ut notandum eſt primam radicalem aleph hîc poſt holem quieſcere, ne duo aleph concurrerent, integrè enim ſic dicere oportebat אֶאֱמוֹר &c.

CCLXX וְתוֹחַלְתִּי nomen eſt fœm. cũ affixo primĕ perſ. extra affixum eſt תּוֹחֶלֶת radix eſt יָחַל expectauit. Notanda eſt regula, Duĕ ſunt fœmininorũ Hebrĕis uſitatiores terminationes, nimirũ prĕcedente kametz, quod cum affixis in ת uertitur

& thaf

& thaf præcedente ſægol: iam ut cognoſcas has terminationes quãdo ſunt cum affixo: ſcias, ea quæ ex he in thaf ſunt uerſa fœminina, habent thaf raphatum præcedente kametz: quæ uerò in thaf deſinunt, ea cum affixis habent thaf dageſſatum cum dages leni, præcedente ſcheua quieſcente: ut à מַמְלָכָה dicimus cum affixo מַמְלַכְתִּי & à מַמְלֶכֶת dicimus cum affixo מַמְלַכְתִּי

CCLXXI מֵיְהֹוָה in hac uoce nihil eſt annotandum, niſi quòd mem ab initio, præpoſitionis officio fungens, poterat ſuum dages (quod refert literam nun) in iod ſignare: ſed quia hoc Dei nomen tetragrammaton non profertur à Iudæis, ſed loco eius אֲדֹנָי in qua uoce aleph gutturalis nõ recipit dages, ideo fortè mem habet zere, unde uidere eſt ſuperſtitionẽ hanc diu duraſſe apud Iudæos.

Verſus

Versus decimusnonus.

CCLXXII In hoc uersu nihil est quòd antè non sit explicatum, unum hoc obseruandum in prima uoce, uaf holem in kametz correptum esse mutatum, propter makaph uirgulam. Imperatiuus enim ita scribi oportebat זְכוֹר Sed de kametz correpto uide LXI. & de makaph, LII. &c.

Versus uigesimus.

CCLXXIII וְתָשׁוּחַ duplex est huius uocis lectio, duplex etiam interpretatio. Quidam enim legũt uaf schurek, & tunc erit futurum kal à radice שׁוּחַ incuruatus est. Alij legunt iod, & tunc erit tertię coniugationis ab eadem radice, quæ & loqui, mussitare, meditari significat: & in Psalmis frequenter pro orare & meditari accipitur. Thargum hoc loco dixit, וְתִצְלֵי עֲלַי נַפְשִׁי עַל סִיגוּפָא & inclinauit se super me anima mea, propter afflictionẽ.

Versus uigesimusprimus.

CCLXXIIII ואת demõſtratiuum eſt pronomen fœmininũ, à quo deſideratur ſubſtãtiuum aliquod, ſcilicet conſolatio, uel tale aliquid. Quanquam quum in lingua Hebræa non ſit genus neutrum, ſolent illi fœminis pro illo uti, ut dicant Hanc, pro Hoc.

אָשִׁיב futurum eſt tertiæ coniug. actiuæ, primæ perſonæ: radix eſt שׁוּב reuerſus eſt, inde הֵשִׁיב fecit reuerti, reduxit.

אוֹחִיל futurum eſt hiphil primæ perſonæ, radix eſt יָחַל uerba nanque incipientia à prima radicali iod, mutant in hiphil illud, in uaf holem.

Versus uigesimusſecundus.

CCLXXV חַסְדֵי nomen plurale maſcul. in regimine. Singulare eius eſt חֶסֶד miſericordia, ſeu gratuitum beneficium, quod fit (ut loquuntur Hebræi) לִפְנִים

משורת

מִשּׁוּרַת הַדִּין ante ordinem iuris, uel præter regulam iuris: hoc eſt, tale beneficiū quod non teneor de iure facere, unde diſferunt חָסִיד & צַדִּיק hoc pacto: ut, illud hominem beneficū, qui præter meritum alijs benefacit: hoc uerò, eum qui id ſolùm facit quod iuſtum eſt, & qui ſecundùm iuſtitiæ normam unicuique tribuat quod ſuum eſt, ſignificat. Quare prædictam uocem Chaldæus, per טִיבוּתָא bonitatem reddidit.

תַּמְנוּ duplex huius uocis eſt ratio, quidam nanq; primam perſonā plurale præteriti kal exiſtimant à radice תָּמַם aiuntq; dages indicem alterius geminatarū abiectum: alij uerò tertiam perſonam pluralem pręteriti kal ab eadem radice, & nun loco mem ex geminatis alterius poſitum eſſe autumāt. Vtraq; lectio ſatis conſtat, priorem ſequitur Hier. Miſericordię dn̄i

quia non ſumus conſumpti, quaſi dicat, Miſericordia Domini hoc factum eſt, quòd non ſumus cõſumpti. Alteram habet Thargum, qui dixit hoc loco, פְּסָקוּ ceſſarunt, &c.

כָּלוּ tertia perſona pluralis kal præteriti, radicem uide CLXXX & CCXXXIII.

רַחֲמָיו nomen eſt plurale maſc. cum affixo uaf, notandumq́ eſt utrunq ſignum pluralis numeri hîc defeciſſe, iod ſcilicet & mem: ſingul. eſt רַחַם Habbac. III. ſecundum Kimhi, plurale eſt רַחֲמִים miſerationes: eſtq́ numerus pluralis in hoc nomine magis in uſu. radix רִחַם miſertus eſt.

Verſus uigeſimustertius.

CCLXXVI חֲדָשִׁים nomen eſt plurale maſcul. adiectiuum, ſingulare eius eſt חָדָשׁ nouus. Pendet uerò huius uerſus initium à præcedente, Nouæ ſunt miſerationes uel miſericordiæ Domini.

לַבְּקָרִים

לַבְּקָרִים In hoc nomine plurali maſcu. lamed ab initio includit he demonſtratiuum, uti teſtatur paſſach ſequẽte dages. Singulare eius eſt בֹּקֶר mane, cuius uocis etymon his uerbis explicant Hebræi, שֶׁהָאוֹרָה יוֹצֵאת וּמְבַקֵּר מַבְדִּיל בֵּין דָּבָר לְדָבָר׃ hoc eſt (tempus matutinum ideo dicitur boker) quòd lux egreditur, explorat, ac diſcernit inter res omnes. Hęc illi. Senſus eſt, lucẽ ideo dici Hebraicè boker, quòd mane oriente ſole, quæ noctu per tenebras dignoſci non poterant, omnia conſpicua fiant, nihilq́ latere poſſit.

אֱמוּנָתֶךָ nomen eſt fœmininum cum affixo ſecundę perſonę maſcul. ſing. ideoq́ he in thaf eſt mutatum. Significat fidem, ueritatem, conſtantiam, promiſſionem. Radix eſt אָמַן firmum, ratum, fidele, conſtans fuit. Vatablus hanc particulam ita explanat, Veriſſimus es in promiſſioni-

bus tuis. Quidam Hebræorum ſic exponunt, Magna res eſt promiſſio tua, & magnum eſt credere in te (nam אֱמוּנָה ſignificat etiam fidem, qua credimus dei promiſſis: unde ſatis apparet, apoſtolum ad hanc etymologiã fidei reſpexiſſe, quum dixit, fidem eſſe hypoſtaſin, &c.) quòd tu impleturus ſis & obſeruaturus quod promiſiſti. Hæc ille, ex rabbi Salomone.

Verſus uigeſimusquartus.

CCLXXVII חֶלְקִי nomen eſt cum affixo primę perſonę, radicem habet חָלַק diuiſit, inde nomen formatur חֵלֶק pars, portio, hæreditas, &c.

Verſus uigeſimusquintus.

CCLXXVIII טוֹב hoc loco adiectiuum eſt, ſignificat bonum, benignũ, clementem. Aliâs eadem punctatione, eſt uerbum ſignificãs bonum eſſe. Hinc formantur duo nomina טוֹב id eſt, bonus,

&

& טּוֹבָה bonitas. Eſt uerò obſeruandum Hebræos appellatione boni, intelligere omnes ſpecies boni, ut ſunt bona animi, corporis & fortunæ, utilitatem, honeſtatem, uoluptatem, pulchritudinem & formam, delectationem, diuitias, & cætera. Hæc omnia ſignificare hanc uocem, ſi diligenter in Biblijs uerſaberis Lector, deprehendes.

לְקֹוָו lamed cum genuino ſuo puncto ſcheua, articulus eſt datiui. Verbum eſt participium præſens, kal: radix eſt קָוָה id eſt, expectauit. Regulariter uerò ita erat ſcribenda hæc uox לְקוֹוָין nam eſt pluralis numeri maſculini, cum affixo uaf in fine, & iod plurale quieſcit, ſimul & primum uaf, quod non eſt radicale, ſed litera protractionis (ut uocant) ſicuti habes in paradigmate פּוֹקֵד Frequenter autem uaf, poſt holem maximè, quieſcere ſolet.

תדרשנו uerbum eſt futuri temporis, ſingul. tertię perſonę fœm. cum affixo ſingul. maſc. tertię perſonę. radix דרש diligenter inquirere, unde cõcionator דרשן inquiſitor dicitur, & ſchola בית המדרש domus inquiſitionis, quod ibi ueritas inquiri debeat, appellatur. Sic & expoſitiones librorum Biblicorũ, maximè eæ quæ ultra ſenſum literæ, myſticum inquirunt, ut teſtatur Elias in ſuo Thisbi, quem uidere potes, apud Iudæos דרשות id eſt, ſubtiles inueſtigationes appellãtur. Sed de his ſatis, Quod ad conſtructionem attinet, repetendum eſt prima dictio, & applicãda etiam poſtremę clauſulæ, hoc pacto, Bonus eſt Dominus ſperantibus in eum, & bonus eſt animæ (hîc rurſus relatiuum Quæ, ſubaudiendum) quæ inquirit eum. Eſt enim futurũ hîc pro præſenti exponendum.

Verſus

Versus uigesimusſextus.

CCLXXIX וְיָחִיל annotat rabbi Salomo uaf huius dictionis ſuperfluũ eſſe, Sicut enim literæ ſeruiles ſępe abſunt, ita nõ raró præter neceſſitatem dictionibus adſunt. Verbum eſt futurum tertiæ coniugationis, actiuæ, tertiæ perſonę ſingul. maſcul. à radice חול expectauit. Quid uero de hac uoce ſentiat rabbi Dauid Kimbi, non grauabor annotare. Is ergo in Radicibus ita ſcribit, כלומר טוב שיחיל ויחיה דומם להשועת יהוה ואפשר לחיות ויחיל תאר משרש יחל בפלס שריר ויחיה פירוש הפסוק שיחיה האדם טוב ויחיל ודומם לתשועת יהוה hoc eſt, quaſi dicat, Bonũ eſt ut expectet (homo) & ſit in ſilentio, uſque quo ueniat ſalus Domini: & poſſibile eſt, ut ſit ויחיל nomen formale, à radice יחל iuxta formã שריר & tunc uerſus ita exponetur, ut homo ſit bonus & expectans ac ſilens uſque

ad ſalutem Domini. Hactenus ille.

ודומם nomen eſt formale, ſignificat tranquillũ, tacentem, ſilentem, quietum. Radicem eius duplicem aſſignat Dauid Kimhi דום ſcilicet, & דמם id eſt, quieuit, ſiluit, &c.

לתשועת lamed articulus mutauit ſuũ genuinum punctum ſcheua in hirek, ne duo ab initio concurrerent ſcheuaim. nomen eſt fœmininum heęmanthicum, mutauitq́ he in thaf propter conſtructionẽ: radix eſt ישע ſaluauit, ſeruauit.

Verſus uigeſimusſeptimus.

CCLXXX כי ישא prior particula coniunctionis Si, quum, uim habet.

Altera dictio, uerbum eſt futurum ſecundæ perſonæ ſingularis maſculini kal. Radix eſt נשא id eſt, tulit, portauit: quare habet dages in ſecunda radicali, ad repræſentãdum ſcilicet primam radicalem

nun,

nun, quæ pro more ſecundi ordinis in fu turo excidit.

עֹל nomen eſt, ſignificat iugum: radicem habet עָלַל ex duplicatis, id quod indicat dages in lamed quando habet affixa, quod alterum lamed excidiſſe coarguit: dicimus enim commutatis punctis holem in kybutz ſequente dages. עֻלּוֹ iugum eius, Geneſ. XXVII. 1 Reg. XII.

בִּנְעוּרָיו beth ſeruile hirek habet, ne duo ſcheua cõcurrant. Vaf in fine affixũ, nomẽ eſt pluralis tantùm numeri נְעוּרִים iuuentus, à radice נַעַר puer.

Verſus uigeſimusoctauus.

CCLXXXI יִדּוֹם de hac uoce uide quæ ſuprà diximus numeris CLXXIIII & CCLXXIX.

Hîc uerſus aliquantulum obſcurus eſt, propter ea quæ ſubaudienda ſunt, qua in re ſunt etiam diuerſæ ſententiæ, quas

quas Vatablus his uerbis commemorat, ſubauditur, dominus iugum. Non ſignificat deſperantem animum, ſed proijcientem ſe in iudicium & uoluntatem dei, paratum ſemper ad maiora ferēda. Alij uertūt, Manebit (in) ſolitudine, & erit ſilens quia portauit ſuper ſe: ſubauditur, iugū Domini. Hæc ille. Hieronymus tranſtulit, Quia leuauit ſe ſuper ſe. neſcio quo ſenſu. Chaldæus paraphraſtes, locum eleganter interpretatus eſt, cuius interpretionem Latinè translatam ſubijcere uolui. Sic ergo ille reddidit paraphraſticôs, Sedebit ſolus ipſe, & ſilebit ac feret caſtigationes, quæ ueniunt propter unitatem nominis Domini. (Intelligit confeſſionem & profeſſionem ueræ religionis: quam qui ſequuntur, neceſſe eſt ut perſequutionem patiantur. Eſt & alia calamitatum piorum cauſa, nimirum ut pecca-

tum

tum ab illis agnoſcatur, & quotidie abo-
leatur: quæ duo hoc loco Thargum com
memorat.) quæ mittuntur (inquam) ut
pœna ſumatur de illo, propter peccatum
leue quod peccauit in mũdo hoc, donec
rurſus miſereatur eius, auferatq́ eas (ca-
ſtigationes) ab illo, recipiatq́ eum uultu
pacifico in mundum alium. Hæc ille.

Verſus uigeſimus nonus.

CCLXXXII יֵשׁ Particula hæc ſubſi
ſtẽtiam ſignificat, & recipit affixa, & quã
do cum uirgula makaph ſequenti dictio
ni coniungitur, tunc habet ſægol, uſurpa
turq́ pro uerbo ſubſtantiuo, utriuſq́ nu
meri talem recipit perſonam, qualem affi
xum ei adiectum. radix ei aſcribitur יָשַׁה

תִּקְוָה nomen eſt heæmanthicum fœ-
min. à radice קָוָה expectauit, ſperauit.

Verſus trigeſimus.

CCLXXXIII לְמַכֵּהוּ hu in fine, eſt
affixum

affixum sing. mascul. tertiæ personæ. Lamed, articulus datiui. Verbum est participium tertiæ coniugationis actiuæ, ut apparet in passach sub mem. Vltima radicalis he, hîc quiescit: integrè enim sic scribēda erat מַכֶּה Et prima radicalis nun (nam radix est נָכָה unde uerbū hiphil הִכָּה percussit, deriuatur) per dages denotatur, pro more secundi ordinis.

בְּחֶרְפָּה nomen est fœminini singularis, ignominiam, opprobrium, à radice חָרַף opprobrio, ignominia affecit.

Versus trigesimus primus.

Voces omnes sunt aliâs explicatæ.

Versus trigesimus secundus.

CCLXXXIIII הוֹגָה uerbū est præteritum hiphil à radice יָגָה de quo & suprà diximus, subaudiendum autem hîc Dominus: & particula ki, hoc loco rectè pro Quin, aduersatiua coniūctione exponit.

Versus

Versus trigesimustertius.

CCLXXXV ויגה uaf est conuersiua, conuertit enim hîc futurum in præteritum. Estq; futurum (teste Aben Esra) tertiæ coniugationis, radicē habet יגה Porrò regulariter ita erat scribēda וייגה Sed defectum primæ radicalis iod repræsentat dages, præter cōsuetudinem ordinis tertij. Secundum alios, qui secundæ coniugationis futurum esse arbitrantur, iuxta regulam sic scribenda fuerat וייגה Annotat etiam Elias in libello Compositionum, ubi irregulares tractat dictiones, ex sententia Aben Esræ, in plerisque exemplaribus aleph loco he in fine inueniri ויגא

Versus trigesimusquartus.

CCLXXXVI לדכא infinitiuus est secundæ coniug. piel: abijce lamed infinitiui characterem, apparebit radix.

אֲסִירֵי nomen plurale masc. constructi uum. Radix est אָסַר ligauit, uinciuit. Inde אָסִיר uinctus. Intelligit hîc per uinctos terræ, ipsos mortales obnoxios peccato, periphrasis hominis.

Versus trigesimusquintus.

CCLXXXVII לְהַטּוֹת Infinitiuus tertiæ coniugationis, ad quod he ab initio post lamed denotat. Radix est נָטָה declinauit, nam prima radicalis nun per dages hîc repræsentatur. Regula. Verba quinti ordinis desinentia in he, per omnes coniugationes in infinitiuis mutant he in thaf, præcedente uaf holem, aut saltem holem, nam uaf sæpissimè quiescit.

גָּבֶר suprà explicata est hęc uox, & hoc loco nihil annotandum, nisi quòd prius sægol in kametz conuersum est, propter sakeph katon accentum distinguentem.

נֶגֶד prępositio coram, uel aliquando

contra,

contra,& è regione.

עֶלְיוֹן nomen heæmanthicum deriuatum à radice עָלָה aſcendit, ſublimis,factus eſt. Nota phraſim linguæ ſanctæ, In conſpectu altiſſimi, id eſt, in conſpectu ſuo, loquitur de ſe in tertia perſona.

Verſus trigeſimusſextus.

CCLXXXVIII לְעַוֵּת infinitiuus piel: radix eſt עָוַת peruertit, uerbum primi ordinis: nec obſtat quòd mediam habet radicalem uaf. Quo uerò rem uniuerſam intelllgas, hanc obſerua regulam, Omnia uerba quæ habent mediam radicalem uaf, ſunt quarti ordinis, & in ijs ſæpe uaf quieſcit, nam à קוּם dicimus קָם קַמְתָּ קַמְתִּי Ab his excipiuntur ea quæ habent ultimam radicalem he, ut קָוָה illa enim tametſi uaf in medio habeant, nunquam tamen illud quieſcit, ut in alijs. His adde quinque illa uerba גָּוַע עָוַת צָוַח רָוָה

שֶׁרַע illa enim ad perfectum, ſeu primum ordinem uerborum pertinẽt: non enim uaf in illis quieſcit, &c. Vide Eliam oratione ſecunda, fundamẽto ſeptimo libri Electi, & cætera.

בְּרִיבִי radix eius eſt רוּב contendit: unde nomen deſcendit רִיב lis, contentio, controuerſia, &c. In hoc porrò uerſu phraſis notanda eſt, Non uidit: quam ita interpretatur rabbi Salomo, Non uiſum eſt ei, nec aſcendit in cogitatione eius, coram eo, ut faceret ſic: non uidit, non approbauit, nec placuit ei. Annotauit idem autor tres uerſiculos iſtos, ad unicã hanc clauſulam referendos, eamq́ ad ſingulas partes repetendam.

Verſus trigeſimusſeptimus.

CCLXXXIX מִי quærit de perſona, מָה quærit de re.

וַיְהִי uaf conuertit hîc futurum in præ teritum

teritum, ut teſtatur paſſach ſequente da-
ges. Radix eſt חָיָה à qua in tertia perſo-
na ſing. futuri temporis dicendum erat
regulariter תִּחְיֶה Iam quum recipiat ab
initio uaf conuerſiuum, abĳcitur ultima
radicalis he, & tum debebat ſcribi וַתְּחִי
ſed ſcheua propter accentum pauſantem
in ſcheua cõuertitur. Proinde quum uer-
ba quinti ordinis quū in futuro propter
uaf conuerſiuum abĳciant he, & hanc ſe-
quantur ferè omnia pũctationem, ut pro
יִבְנֶה quod eſt integrum à radice בָּנָה ab-
iecta litera he ה cum uaf conuerſiuo, di-
cant וַיִּבֶן omnino præter conſuetudi-
nem fit, ut inuertatur hæc punctatio in
hoc uerbo חָיָה idq́ proculdubio, quum
omnes eius literæ ſint quieſcentes, & al-
tera etiam gutturalis: quę duo literarum
genera, omnes Grammaticæ leges per-
uertunt.

Sed ut pergamus, uide hac de re Eliæ libellum de Compositis, in litera iod, sub dictione יחי Versiculus iste uarijs modis exponitur. Vulgata enim translatio sic habet, Quis est iste qui dixit, ut fieret, Domino non iubente? Alia sic, Quis hoc dixerit, aliquid fieri quod dominus non præceperit? Chaldæus aliter habet, cuius uerba subijciemus, מן הוא אנש אמר והות בישתא מתעבדא בעלמא אלהן מן בגלל רע דעבדו מה דלא אתפקדו מן פומא דיהוה ׃ hoc est, quis ille est homo, qui dixerit (id est, qui dicere ausus sit, aut qui dicere possit) fuisse unquam aliquid mali factum in mundo, nisi propterea quòd (homines) fecerunt id, quod non iussi fuerunt ab ore Domini. Hæc ille.

Versus trigesimus octauus.

CCXC תצא futurum est kal tertiæ personæ sing. fœm. à radice יצא egressus est.

eſt. Verbum tertij ordinis qui bipartitus eſt, habet enim uerba incipiētia ab aleph, & incipientia à iod, quæ rurſus duorum ſunt generum. Nam primò, quæ habent ſecundam radicalem zade, ea in futuro ſequuntur rationem uerborum ſecundi ordinis: hoc eſt, abijciūt primam radicalem iod & defectum eius per dages repræſentant, ut à יצק effudit, dicimus in futuro אצוק &c. Vnum autem hoc uerbum יצא ab his excipitur: nam non per dages defectum iod, ſed per zere longum punctum exprimit, ut hîc uides; ſecundū rationem uerborum tertij ordinis. Secundò, nam illa quæ non zade, ſed aliam quamcunq; poſt iod habent, ea per zere literæ iod quietem denotant, dicimus enim à ירע in futuro ארע הרע &c.

הרעות he demōſtratiuum kametz habet loco paſſach ſequēte dages, idq; pro-

pter reſch literam, quæ ipſius dages non eſt capax. Nomen plurale fœmininum, à ſingulari רָעָה quod non ſemper malitiam, peccatum & iniquitatem ſignificat. ſed ſæpenumero aduerſa quæ propter peccatum immittũtur: ſicut uidere eſt in Amos, qui ait, Non eſt malum in ciuitate, quod non fecerit Deus. qui locus non de peccato, ſed de afflictionibus, quas immittit Deus propter ſcelera hominibus, neceſſariò intelligendus eſt: nam, Non uolens iniquitatem, tu Deus: ut inquit Pſalmiſta. Pendet autem & hic uerſiculus à ſuperiori, hoc pacto, Quis eſt qui audeat dicere, Ex ore altiſſimi non egredi neq; mala (id eſt, aduerſa) neque bona (id eſt, proſpera)? quaſi dicat, Nihil eſt, quod citra prouidentiam Dei fieri, aut contingere poſſit, uti & ſuperiori uerſiculo declaratur. Efficax eſt conſolatio in

omni

omni afflictione considerare prouidentiam Dei, nihil euenire hominibus, cuius non sit autor, & omnia attemperari ad salutem nostram, culpam tamen nostram interim agnoscere. Hæc ferè Vatablus.

Versus trigesimusnonus.

CCXCI יִתְאוֹנֵן Futurum tertiæ personæ singularis numeri quartæ coniugationis, quod thaf litera satis demonstrat. Radix est און quæ teste rabbi Kimhi significat אֵר וְאֵבֶל afflictionem & luctum, inde uerbum in quarta coniug. הִתְאוֹנֵן seipsum afflixit, sich selbs kreutzigen vnd plagen. Habet enim hithpael reciprocam & immanentem actionem. Proinde non tantùm quartę, sed & secundum aliquos Grammaticos, quadratæ coniugationis (qua de numero CCLII disseruimus) est hoc uerbum: nam ultima radicalis geminatur, ut uides.

Sed cum citato loco ex ſententia Eliæ do cuerimus in quarto uerborũ ordine, loco dages, quòd in piel mediam radicalẽ cadit regulariter, ultimam radicalem geminari, ne quum in uaf (quod in quarto ordine quieſcens eſt) dages ponatur, deſinat uerbũ ſui eſſe ordinis: ideo potius eſt dicendum, eſſe hoc uerbum in piel, & poſtea quartæ cõiugationis, quæ ex piel componitur, præpoſita ſyllaba הִתְ &c.

חַי nomen adiectiuum uiuus, uiuens, à radice חָיָה uixit, inde חָי (nam hoc loco propter ſakeph paruum, accentum diſtinguentem, paſſach in kametz eſt mutatum) uiuus, in plurali חַיִּים iod dageſſato propter breue præcedens punctum, uiuentes, unde Terra uiuentium, Pſalmo centeſimo decimoſexto. Varia eſt & huius uerſiculi expoſitio. Hieronymus habet, Quid murmurauit, &c. fortaſſe ab

eo quod

eo quod Num. XI cap. dicitur ויהי העם כמתאננים & factum eſt quum murmuraret populus. De huius autem loci & uerbi expoſitione, ſubijciam in gratiam Studioſorum, quæ doctiſſimus piæ memoriæ uir, præceptor meus, D. Paulus Fagius זצל in XI Num. cap. ab initio annotauit, quo uerbi התאונן genuina Studioſis conſtet ſignificatio: ſed prius reliquas expoſitiones, quę ad hunc (ut diximus) uerſum pertinent, perſequemur. Alij itaque hoc pacto interpretantur, Cur dolet homo, quamdiu uiuit (&) uir (ſcilicet cur dolet, nam repetendum eſt uerbum pro more Linguę ſanctę) ſuper peccato ſuo: quaſi dicat, Inſani ſunt qui peccando ſibi crucem aſciſcunt, quin potius inueſtigēt uiam ſuam, & reuertātur ad Dominum, in hoc enim punit. Alij nomen גבר uerbaliter exponunt, Cur igitur affligat ſe

homo uiuens, quū fortiter (insistit) peccato suo: sed quàm rectè, ipsi uiderint. melius enim superior se habet ad textum collata interpretatio. Rabbi Salomon hunc uersiculū cum superioribus ita explanat: Et si uelim dicere, Nequaquam ex manibus uenit ad me malum istud, accidens est & euentus ac fortuitum quicquid mihi uenit. Respondebis, Non ita se habet, quin potius si uel bona uel mala spectes, quis ille est qui dixerit, Et factum sit Domino non præcipiente, & ex ore eius non egredi neque bona neque mala? Atqui quâm (nam מַה id quoque significat) dolere meritò debet homo uiuens, & uir super peccato suo, & unusquisque dolere debet super peccatis suis, quoniam illa sunt quæ aduersa inducunt super ipsum. Hæc ille. Nunc ad locum qui in Numeris habetur, in quē sequentia

tia ſcripſit Fagius: Et fuit populus ſicut iniuſtè uel iniquè agentes: uel, Fuit populus ſicut iniuſtè de aliquo conquerentes. Hoc eſt, Tunc populus ſimilis fuit ijs qui iniuſtè cum aliquo expoſtulant. Quaſi dicat, Tunc cœpit populus iniuſtè expoſtulare cum Moſe, quòd grauatè Dominus audiuit, ægreq́; tulit. Et hæc expoſitio probatur rabbi Dauid Kimhi, qui uerbum Hebraicum מִתְאוֹנֵן mithonen, per שֶׁקֶר ſchæker, id eſt, iniquè agere, exponit. Alij exponunt per קָץ katz, id eſt, nauſeam habere, & עָצַב azaf, id eſt, mœrore affici. Rabbi Salomon exponit per בִּקֵּשׁ עֲלִילָה id eſt, occaſionem quærere. Occaſionem enim quęſiuit, quomodo recederet à Domino. Et tunc deducitur hoc uerbum à nomine תאנה thoanah, quod occaſionem & cauſam ſignificat.

Quod

Quod nomen habetur Iudic. XIIII. ubi de Samſone dicitur, quòd occaſionem quæ ſiuerit contra Philiſtæos. Et huic ſententiæ aſtipulatur noſter paraphraſtes ſua paraphraſi, qui habet, Et factũ eſt quum populus quæreret occaſionẽ malam contra Dominum. Septuaginta & uulgata æditio, per murmurare uerterũt. Septuaginta, καὶ ἦν ὁ λαὸς γογγύζων πονηρὰ ἔναντι κυρίου. & erat populus murmurans mala coram domino. אוֹן apud Kimhi, & dolorem & laborem & murmur ſignificat, quæ tria uulgata ęditio bellè hîc expreſſit. Vulgata, Interea ortũ eſt murmur populi, quaſi dolentium pro labore contra Dominũ. Et ſecundum illos uerbum מתאוננים uenit à uoce און quæ dolorem & laborem ſignificat, hinc התאונן id eſt, præ dolore lugere, querulari & murmurare, iuxta illud Thren. IIII. מה יתאונן אדם חי גבר וגו׳ id eſt

id eſt, quid luget, ſiue dolet homo uiuus & uir de peccatis ſuis, &c. Hæc ille, quæ ideò aſcripſimus, ut ex collatione locorum uocabuli natura eluceſcat.

Verſus quadrageſimus.

CCXCII נַחְפְּשָׂה Futurum eſt kal primę perſonę pluralis cum he paragogico, ſicut & reliqua duo ſequentia uerba, quę & ipſa futura ſunt kal pluralia primę perſonę cum he paragoge. Radices illorum ſunt חָפַשׂ חָקַר שׁוּב quarum duæ priores diligenter & magno ſtudio aliquid quærere & inueſtigare: tertia uerò reuerti, redire in uiã, reſipiſcere. Per uiam, ſcriptura intelligit inſtituta hominũ, uitam, mores, & cõuerſationem in terris, &c. Porrò in duobus prioribus uerbis uides gutturalem chet contra naturam ſuam habere ſcheua purum, id quod gutturalibus tribus tantùm de cauſis accidit, extra quas

ſemper

ſemper habent hatephata puncta. Prima cauſa eſt, accentus muſicus. Altera, quando ante gutturalem litera præceſſerit ſeruilis punctata cum hirek, ut יִחְיֶה id eſt, uiuet. Tertia, quando poſt gutturalem ſequitur dages lene, aut litera, ex ijs quæ non recipiunt raphe (quæ autem eæ ſint, uide primam ex noſtris tabulis, quas Baſileæ anno ſeſquimilleſimo quadrageſimoſexto, Henrichus Petri excudit) uti hîc in duobus primis huius uerſiculi uerbis uidere potes. Sed de his uide Eliam in Cantico nono.

Verſus quadrageſimusprimus.

CCXCIII נִשָּׂא futurum plurale kal primæ perſonæ, à radice נָשָׂא Eſtq; hîc prima radicalis nun per dages abſorpta, pro more ordinis ſecundi.

כַּפַּיִם nomen eſt dualis numeri, cuius radicem uide numero CC.

אל אל

אֵל אֶל Prius præpositio est Ad. Alterum nomen, cuius radix est איל significat fortitudinẽ, uim, potentiam, & deus, inde ab omnipotẽtia nominatur hoc uocabulo. Differunt ergo duæ hæ uoces sola punctatione, quibus adijce tertiam אַל quæ negatiua est particula.

CCXCIIII נַחְנוּ pronomen est primæ personæ plurale. Singulare est אֲנִי & per epenthesin אָנֹכִי Plurale est אֲנַחְנוּ & aliquando אָנוּ Proinde hoc loco aleph est detractum: tametsi Aben Esra existimet, aleph esse נוסח hoc est, adiectitiam, & per prosthesin tanquam superuacaneam & minimè necessariam huic uoculæ adijci.

וּמָרִינוּ Hîc uaf litera est copulatiua, & habet schurek loco scheua, propter labialem literam quæ sequitur. Estq́; uerbum præteritum kal, pluralis numeri,

primæ

primę personę, à radice בָּרָה & he in iod conuersum est, pro more quinti ordinis, ut aliâs docuimus.

Versus quadragesimustertius.

CCXCV סַכּוֹתָה uerbum est secundæ personę sing. masc. pręteriti kal sexti ordinis, radice סָכַךְ obduxit, operuit, obumbrauit, dages forte ostendit defectum alterius duplicatę caph, quę breuitatis gratia in hoc & alijs similibus inter cõiugandum abijcitur: deinde uerò uaf epenthesis in hoc ordine in pręteritis apponitur, quo dages forte cõmodius exprimatur. Metaphoram hanc hoc pacto explicauit Vatablus, quasi dicat, posuisti tẽtorium furoris tui, ne uideremus quò iremus: uel, posuisti iram tuam, ueluti interstitiũ inter uos & te, ut non licuerit in nostris afflictionibus ad te confugere. Idem sentit rabbi Salomo. Thargum priorem sen-

tentiam

tentiam ſequitur. חָמַלְתָּ in hac ſecunda præteriti perſona, kametz medium propter finem periodi, ex paſſach mutatum eſt: id quod & in poſtremo ſuperioris uerſiculi uerbo accidit. Radices ſunt חָמַל & סָלַח quæ duo idem ferè ſignificant, parcere, miſereri, &c.

Verſus quadrageſimusquartus.

CCXCVI בֶּעָנָן beth ſeruilis includit in ſe he demonſtratiuum, ut indicat punctatio. Nam he demonſtratiuū, quando poſt ſe habet gutturalem pūctatam cum kametz, ſemper habet ſægol. Vox ipſa ſignificat nubem, & eſt radix.

מֵעֲבוֹר infinitiuus ab עָבַר id eſt, tranſire. Mem ſeruilis debebat habere hirek ſequente dages, ut in paradigmate מִפְּקוֹד Sed quia ain non eſt capax ipſius dages, ideo hirek & dages in zere ſibi correſpōdens, punctum commutantur. Longum

enim punctum æquipollet breui,ſequen te dages,& frequēter breuia puncta cum dages,in longa reſoluuntur. Reſpondet aūt paſſach,ſequente dages ipſi kametz, ut ſicut dicis מְפַקֵּר in piel participio præſenti,ita in eodem tēpore ubi media fuerit gutturalis, dicis per kametz מְבָרֵה pro מְבַרֵּה Zere uerò reſpondet ipſi hireck cum dages,ut iam uidiſti ſuprà. Kybutz denique cum dages,in uaf holem tranſit. Vbi enim dicis מְפֻקָּר in paul coniugationis piel:rurſus in uerbo non capaci dages,dices מְבוֹרָה pro מְבֻרָּה

תְּפִלָּה nomen fœmininum heæmanthicum à radice פָּלַל à quo uerbum coniugationis quartæ הִתְפַּלֵּל id eſt,orauit: Vnde nomen iſtud deriuatur, habens dages,quod repræſentat alteram ex geminatis literam, quæ excidit pro more uerborum ſexti ordinis.

Placet

Placet hoc loco annotare quæ in hunc uersiculum in Midrasch Thillim, hoc est, Expositione super Psalterium, scripta leguntur, non inutilia cognitu. Ea autem sic habent,

רבי חנינא בר פפא שאל לרבי נחמני
מהו כסות בענן לך וגומר אמר לו שערי תפ
הלה פעמים פתוחים פעמים נעולים אבל
שערי תשובה אינן נעולים שנאמר מבטח כל
קצוי ארץ וים רחוקים : מה הים הזה אינו
נעול לעולם אלא כל מי שמבקש לרחוץ בו
רוחץ בכל שעה שאדם רוצה לעשות כך ה
התשובה בכל שעה שאדם רוצה לעשות הת
התשובה עושה והקדוש ברוך הוא מקבלו :

Hoc est,

Rogauit Ribbi Chanina filius Pappa, ipsum Ribbi Nachmain, quid est illud Threnorum quarto, Obduxisti tibi nubem, ne transeat oratio? Respõdit illi,

Portæ orationis quandoq; sunt apertæ, quandoq; uerò clausæ: at portæ pœnitentiæ, nunquam sunt clausæ, quia dicitur Psal. LXV. Spes omnium finium terræ & in mari remotorũ. Quid est mare istud? Mare nunquam in ęternum clausum est, sed quicunq; uult lauari in illo, lauare potest quacunq; hora id facere uoluerit. Sic etiam se pœnitẽtia habet, omni enim hora qua uoluerit homo facere pœnitentiã, faciat, & deus sanctus benedictus sit ipse, suscipiet eum. Hactenus ille.

Versus quadragesimusquintus.

CCXCVII סְחִי nomen est à radice סָחָה quod significat abradere, & abrasionem, sordes scilicet quæ abraduntur è pauimento. Aben Esra, Thargum, & rabbi Salomon, motum interpretantur, quando quis scilicet est uagus & instabilis, qui non habet certas sedes, ut erant Israelitę

litę & Iudęi, in captiuitatem abducti ab Aſſyrijs.

מָאוֹס infinitiuus loco nominis, quaſi dicat, in abiectionem ponis nos. Et ante utranq; uocem, lamed ſubaudiendũ erit, hoc pacto, לְסְחִי וּלְמָאוֹס in abraſionem & abiectionem ponis nos.

תְּשִׂימֵנוּ futurum hiphil, cum affixo, â radice שׂוּם poſuit. Sine affixo thaf habet kametz, quod propter affixum in ſcheua mutatũ eſt. Ponitur autem hîc futurum pro præterito, ut frequenter aliâs quoq; uidimus.

De penultima uerſus huius uoce, uide ſuprà numero XCIX.

Verſus quadrageſimus ſextus.

Nihil hîc eſt quod non antè ſit explicatũ.

Verſus quadrageſimus ſeptimus.

CCXCVIII פַּחַד nomen eſt: ſignificat pauorem: radix eſt פָּחַד timuit, pauit.

וָפַחַת uaf habet kametz, quoties enim copulat duo nomina eiuſdem numeri & caſus, ſemper habet kametz. Eſt autem nomen ſignificans foueam. Et notanda eſt hoc loco alluſio uocum, pacha & pachath: quam ita explicat Rabbi Salomo, Quum fugiſſemus more timentium, incidimus in foueam: iuxta illud, Incidit in Scyllam, qui uult uitare Charybdim.

הַשֵּׁאת he demonſtratiuum eſt, ubi uidere eſt ex punctatione. Reliqua uox nomen eſt ſignificans, ut Kimhi ait in Radicibus, חָרְבָה וּשְׁמָמָה deſolationem & deuaſtationem. Radix eius eſt נָשָׁא ut punctum ſit in dextro cornu, differtq́ꝫ illa à נָשָׂא quod habet in ſiniſtro punctum, à quo uulgatę ęditionis autor hoc nomen deriuari putauit, quum tranſtulit Vaticinationem. Thargum uertit וְתִיהָא id eſt, tremorem. Aben Eſra radicem eius arbitra

שְׁאָת quæ etiam deuaſtari ſignificat, eſſe arbitratur, ut ſit חֲשֵׁאת idẽ quod חֲשׁוּאַת aitq́; aleph debuiſſe per kametz apparere, non autem ita quieſcere, uti hîc in textu uides.

In ultima uerſiculi huius uoce, quæ ſtatim ſequenti uerſu recurrit, & aliâs explicata eſt, nihil aliud obſeruandum, quàm ſægol primum in kametz propter finem periodi conuerſum.

Verſus quadrageſimus octauus.

CCXCIX פַּלְגֵי nomen plurale in conſtructione, maſculinum. Singulariter פֶּלֶג id eſt, diuiſio: pluraliter פְּלָגִים Et in conſtructione mutatis punctis פַּלְגֵי Pſalmo primo. Radix eſt פָּלַג id eſt, diuiſit. Annotat hîc Aben Eſra נְהָרִים פְּלָגִים הֵם id eſt, fluuij ſeu riui dicuntur pelagim, hoc eſt, diuiſiones: quemadmodũ habet uulgata æditio.

תֵּרֵד futurum est singul. tertię personę fœmin. kal, à radice יָרַד Prima enim radicalis iod per zere repræsentatur, pro more tertij ordinis. Sed de significatione huius uocis, & de tota phrasi, uide suprà primo capite, numero CIIII.

Versus quadragesimus nonus.

CCC נִגְּרָה uerbum fœmininũ præteritum singulare coniug. piel, quod dages ostendit. Radix est נָגַר id est, defluxit, stillauit.

תִדְמֶה futurum kal sing. tertię personę fœminine, à radice דמה quiescit uel quieuit, cessauit, &c.

מֵאֵין הֲפֻגוֹת mem prepositio habet zere, quia hæc litera aleph non erat capax punctuli dages: habet autem illa uocula uim particulæ, propterea quòd non (essent) הֲפֻגוֹת intermissiones, quę dictio nomen est plurale fœmininum heemanthicum

cum. Singulare eius erit הֲפוּגָה à radice פוג de qua ſuprà numero CCXVII.

Verſus quinquageſimus.

CCCI עַד יַשְׁקִיף poſt primam particulam alia (אֲשֶׁר) ſcilicet ſubaudienda, uſq; quo reſpiciat, id eſt, donec reſpiciat.

Altera uox, uerbum eſt hiphil futuri tēporis tertię perſonę ſing. à radice שָׁקַף inde hiphil הִשְׁקִיף per feneſtram quaſi proſpexit; nam Aben Eſra ait, ſcripturam hîc eo uocabulo uti, quaſi eſſent feneſtrę in cœlis per quas proſpiceret Deus, &c.

וְיֵרָא uaf copulatiua eſt, iere autem uerbum futurum, paſſiuę coniug. niphal, in qua abiecta litera nun paſſiua, in futuro dicitur à נִפְקַד: יִפָּקֵד pro יִנְפָּקֵד Item à נִרְאָה in futuro abiecta litera nun paſſiua, יִרָּאֶה dici debebat. Sed quia reſch non recipit dages, ideo hirek in zere conuertitur, & dicitur יֵרָאֶה Radix ergo uerbi eſt רָאָה

 uidit, &

uidit, & hoc loco ultima radicalis he abiecta est, propter accessionem uaf copulatiuæ, & puncta inter se commutata, ut segol pro kametz sub resch ponatur. Est ergo irregularis uox.

CCCIII. עֽוֹלְלָה est fœmininum præteritum, ab eo uerbo quod uersu ultimo primi capitis explicauimus, teste Aben Esra. Sensus huius uersus est, Plus fleui quàm omnes filiæ populi mei, nam mulierũ alias est largius flere. מִכֹּל enim hoc significat, præ omnibus: id est, plus quàm omnes. Thargum uerò istud interpretatus est, Propter omnes filias, &c. id est, propter afflictionem earum. sic nanque ille uertit hunc uersum, Fletus oculi mei ascendit, ut noceat animæ meæ propter desolationem regionis populi mei, & deturpationẽ filiarũ Ierusalem urbis meæ. Notanda est phrasis, Oculus meus fecit animæ

animæ meæ: id eſt, nocuit: iuxta Germanicam illam, Der hat mir gethon was mir zuthon war. hoc eſt, nocuit mihi plurimum.

Verſus quinquageſimus ſecundus.

צוֹד צָדוּנִי Infinitiuus uerbo præponitur, emphaſeos gratia: quaſi dicat, de inſidijs & fraude maxima me uenati ſunt, uti uidere eſt Ierem, XXXVII. quum contra ipſum excogitaſſent accuſationẽ, quòd uoluiſſet ire ad Chaldæos. צוֹד eſt ipſa radix, à qua in pręterito kal abiecto acquieſcente uaf, pro ritu quarti ordinis, in tertia perſona plurali dicimus צָדוּ uenati ſunt. Ni, ſyllaba eſt adiectiua primæ perſonæ ſingul. affixum.

כַּצִּפֹּר kaph ſimilitudinis, includit he demonſtratiuum. Zippor uerò nomen eſt communis generis, aliâs fœmininũ, aliâs maſculinum: nam illud eſt (ut Hebræi uolunt) שֵׁם כּוֹלֵל לְכָל עוֹף id eſt,

nomen

nomen uniuerſale omnium uolucrum, hoc eſt, ſignificat auem.

חִנָּם nomen ſeu aduerbium deriuatnm à radice חָנַן gratis alicuius miſereri, inde Chinnam, cum dages in nun (nam mem eſt litera heæmanthica) ad repræſentandum literam geminatam quę excidit, gratis, fruſtra, ſine cauſa. Et ait Aben Eſra, hanc uoculam Ad, inimicos referendam, quaſi dicat, Inſidiati mihi ſunt ut uolucri, inimici mei, qui ſine cauſa inimici mihi ſunt.

Verſus quinquâgeſimustertius.

CCCIIII צָמְתוּ præteritum kal tertię perſonę pluralis numeri, à radice צָמַת quod ſecundum rabbi Salomonem ligare, ſtringere ſignificat: ſecundum alios, excindere.

בַּבּוֹר beth ſeruilis includit in ſe he demonſtratiuum. Bor nomen eſt ſignificās

foueam

foueam: & aliquando pro sepulchro, aliquando pro carcere, ut hîc, nonnũquam pro periculo & insidijs capitur. Psal. VII. foueam effodit, &c.

חַיָּי kametz ex passach propter accentum est conuersum. Iod est affixum sing. & nomen ipsum plurale, quod passach in kametz conuersum ante iod affixum demonstrat. Extra affixum est חַיִּים id est, uita, semper in plurali apud Hebræos ponitur: proculdubio propter uitam præsentis & futuri seculi. Radix est חָיָה id est, uixit.

וַיַּדּוּ uaf conuersiuũ est, cõuertit enim futurum in præteritum. Porrò hæc ipsa quoque dictio irregularis est, nam iod radicale deficit (radix enim uerbi est יָדָה proiecit, & est hîc in piel, ut uidetur in dages) & erat regulariter ita scribenda וַיְיַדּוּ Vide Eliam in libello Compositionis.

Versus

Versus quinquagesimusquartus,

CCCV צָפוּ præteritum plurale tertiæ personæ kal, à radice צוּף quarti ordinis, quæ significat inundare.

אָמַרְתִּי נִגְזָרְתִּי Prius uerbum actiuum est kal, significat enim cogitare.

Alterum uerò passiuum niphal à גָּזַר excindere. & passach in kametz propter finem periodi conuersum est. Subaudit hoc loco Thargum aliquid: dixit enim, Dixi in uerbo meo, excisus sum de mundo. quasi diceret, Putabam actum esse de me. &c.

Versus quinquagesimusquintus.

CCCVI תַּחְתִּיּוֹת nomen fœmininum plurale, cuius singulare est תַּחְתִּיָּה à radice תַּחַת id est, subter: ad uerbum hæc particula ita exponitur, E lacu inferiorum, scilicet locorum; hoc est, è profundissimo puteo.

Versus quinquagesimus sextus.

CCCVII תַּעְלֵם futurum hiphil secundæ personę, singularis numeri, masculini generis, & zere sub litera lamed est loco hirek sequente iod: ita enim erat scribenda תַּעְלִים radix est עָלַם

אָזְנְךָ radix est אֹזֶן uaf holem in kametz correptum, de quo uide Canticum undecimum Eliæ.

לְרַוְחָתִי Lamed hîc non articulus est datiui, sed præpositio Propter: quasi dicat, Ausculta clamori meo propter respirationem meam, ut illa mihi contingat. In sequenti nomine, lamed est articulus.

Sunt autem duo nomina fœminina, quorum he propter affixum, in thaf est conuersum. Extra affixum sic se habent, רַוְחָה : שַׁוְעָה id est, respiratio, clamor. Radices sunt רֶוַח שָׁוַע

Versus quinquagesimus septimus.

CCCVIII אֶקְרָאֶךָּ futurum primę personæ sing. kal cum affixo secundę personę, quod dagessatum est propter punctũ breue præcedens. Radix aliâs est explicata. Subaudiẽdum est autem pronomen, hoc pacto, Appropinquasti in die (quo) inuocaui te, &c.

תִּירָא futurum tertię personę sing. kal: radix est יָרֵא timuit.

Versus quinquagesimus octauus.

CCCIX רַבְתָּ præteritũ est kal secundæ personæ sing. masc. à radice רוֹב Coniugantur autem uerba quarti ordinis in præterito kal, omnia in hunc modum, ut quiescat uaf.

	1	2	3
Singul.	רַבְתִּי	רַבְתָּ	רָב
Fœmin.		רַבְתְּ	רָבָה
Plural.	רַבְנוּ	רַבְתֶּם	רָבוּ
Fœmin.		רַבְתֶּן	

Ab hoc

Ab hoc autem uerbo ſtatim ſequitur nomen plurale maſculinum in conſtructione, iam antea quoque explicatum.

Verſus quinquageſimus nonus.

CCCX רָאִיתָה uerbum kal, præteritum, ſingul. ſecundæ perſonæ cum paragoge he quinti ordinis: quo pacto uerò illa per preterita omnium ordinum inflectãtur, docuimus ſuprà numeris XXII & XXXVI. Nunc paradigma trademus.

Perſonæ	1	2	3
Singul.	רָאִיתִי	רָאִיתָ	רָאָה
Fœmin.		רָאִית	רָאֲתָה
Plural.	רָאִינוּ	רְאִיתֶם	רָאוּ
Fœmin.		רְאִיתֶן	

עַוָּתָתִי nomen fœmininũ dageſſatum mutato he in thaf propter affixum. radix eſt עִוֵּת peruertit, inde עַוָּתָה peruerſitas, iniquitas, & hoc loco ita intelligẽda, peruerſitatem meam, id eſt (quemadmodũ

uulgata habet æditio, Vide Domine ini quitatem illorum aduerſum me.

שִׁפְטָה מִשְׁפָּטִי Prior uox eſt imperatiuus cum he paragogico, à radice שָׁפַט iudicauit, in iudicio aſſeruit.

Altera uox, nomen eſt heæmanthicum cum iod affixo, ab eodem uerbo deſcendens.

Verſus ſexageſimus.

CCCXI נִקְמָתָם nomen fœmininũ, mutato he in thaſ, ob mem affixum plurale maſculinum tertiæ perſonæ. Abſolutè dicitur נְקָמָה ultio (ſignificat autem hoc loco nocendi ſtudium, ut finis uerſiculi docet) à radice נָקַם

מַחְשְׁבֹתָם idem affixum & hîc eſt. Eſt autem nomen fœmininum plurale à ſingulari מַחֲשָׁבָה id eſt, cogitatio: à radice חָשַׁב id eſt, cogitauit & reputauit. Geneſeos decimoquinto.

Verſus

Versus sexagesimusprimus.

CCCXII חֶרְפָּתָם nomen fœmininum cum affixo, sine quo ita se habet חֶרְפָּה id est, opprobriũ, ignominia: à radice חָרַף ignominia affecit. Sensus loci huius is est Vide Domine ignominiã illorum, qua me scilicet affecerunt.

Versus sexagesimussecundus.

CCCXIII שִׂפְתֵי nomen duale in con struct. Sing. est שָׂפָה labiũ: in duali (qui plerũq; in ijs nominibus apud Hebræos est, quę res natura duas significãt, ut sunt oculi, pedes, manus, labia, &c.) שְׂפָתַיִם

קָמַי participium præsens plur. cum af fixo iod, nominis uim habẽs, à radice קוּם surrexit, stetit, cõstitit. Kamai, id est, insur gentes, aduersus me, hostes mei, &c,

וְהֶגְיוֹנָם uaf copulatiua est. Mem in fi ne affixum, reliqua dictio nomen est heæ man, ueniens à radice הָגָה meditatus est.

Versus sexagesimustertius.

CCCXIIII שִׁבְתְּךָ est infinitiuus cum affixo mem, loco nominis pro more linguæ, iuxta etiam elegantias linguę Latinæ: Scire tuum nihil est, &c. Radix est יָשַׁב sedit, à quo in infinitiuo abiecta prima radicali, & adiecto in fine litera thaf dicitur שֶׁבֶת duplici sægol uel duplici passach, si media uel ultima sit gutturalis, ut à יָדַע dicimus דַּעַת & hæc quidem uerbis à iod prima radicali incipientibus peculiaria sunt.

וְקִימָתָם uaf ab initio copulatiua, mem in fine affixum, nomen est fœmininum, he mutato in thaf, propter affixum. radix est קוּם

De sequenti uoce suprà capite primo, uersu undecimo.

מַנְגִּינָתָם mem in fine est affixũ, quod iam sæpe habuimus. Mem ab initio est per

per prosthesin citra necessitatem adiectum. Nam nomen est נְגִינָה cantilena (& he hîc est propter affixum in thaf mutatum) à radice נָגַן cecinit, &c.

Versus sexagesimusquartus.

CCCXV תָּשִׁיב futurũ secundæ personæ singul, mascul. hiphil, à radice שׁוּב reuersus est, inde הֵשִׁיב reduxit.

גְּמוּל nomen retributionẽ significans à radice גָּמַל retribuit, rependit.

כְּמַעֲשֵׂה caph significat hîc Secundũ. Nomen est heæmãthicum, à radice עָשָׂה fecit: de qua suprà.

Versus sexagesimusquintus.

CCCXVI תִּתֵּן futurum à radice נָתַן de qua numero XCI.

מְגִנַּת nomen fœmininum heemanthicum à radice גָּנַן quod comprobat dages in nun, significat autem ea uox secundum Thargum & Salomonẽ confractio

nem cordis: alij clypeum interpretantur, quasi dicat, Vallabis eos afflictionibus. Alij uertunt tegumẽtum cordis: hoc est, ignorantiam.

לֵב per apheresin à radice לֵבַב dicitur.

תַּאֲלָתְךָ nomen fœmininum heæmanthicum cum affixo, à radice אָלָה execratus est: inde תַּאֲלָה execratio, maledictio.

Versus sexagesimus septimus.

CCCXVII וְתַשְׁמִידֵם futurum hiphil cum affixo à radice שָׁמַד excidit, exterminauit: ita & Iudæi ab hoc uerbo uocãt apostatas deficientes à se מְשׁוּמָּדִים excisos & exterminatos prorsus.

שְׁמֵי nemen plurale in constructione à radice שָׁמַיִם de qua suprè diximus. Notanda est phrasis, nam hîc tertia persona pro secunda ponitur, Et extirpabis eos de sub cœlis Domini, id est tuis. quãquam mysterio non uacet, quoties dicitur

tur, Pluit dominus à domino, & hîc delebis eos de ſub cœlis domini, &c.

CAPVT QVARTVM.

Verſus primus.

NVmerus CCCXVIII יועם futurũ eſt pro præterito poſitum, coniugationis hophal, à radice עמם quod ſignificat tegere, uide Ezech. uigeſimooctauo & trigeſimoprimo. Alíj tamen per obſcurare interpretantur.

CCCIX ישנא Et hoc futurum præteriti uicem gerit. Proinde aleph in fine, loco he eſt poſitum: nam radix eius eſt שנה mutatus eſt, &c. Literę enim quieſcentes facilè inter ſe commutantur, ut ſæpe dictum eſt.

CCCXX כתם Tria in primo hoc & ſequenti uerſu, auri ſunt uocabula.

זָהָב quod ſimpliciter aurum ſignificat.
כֶּתֶם quod maſſam auri, uel aurum bo. unm, uel (ut rabbi Salomoni placet) uaſa & clinodia (ut uocant) aurea, res precioſæ, aut (ſecundum rabi Iona) gemmæ & margaritę, ſed iſta ſententia à Kimhi improbatur: uide radices eius.

פַּז à radice פָּזַז aurum putum, puriſſimum ac benè purgatum, quod & fortius & præſtantius eſt,

CCCXXI תִּשְׁתַּפֵּכְנָה futurũ hithpael plurale tertiæ perſonę fœm. à radice שָׁפַךְ ac ipſum thaf quartæ coniugationis characteriſticũ poſt primam radicalem poſt ponitur, euphoniæ gratia, ut aliàs diſſeruimus.

Verſus ſecundus.

CCCXXI הַיְקָרִים he demonſtratiuũ, nomen eſt plurale maſc. à ſingulari יָקָר precioſus.

Partici

הַמְּסֻלָּאִים· Participium paul coniugationis piel plurale masc. à radice סִלָּה ita ut hoc loco aleph loco he ponitur: aut, ut uidetur ipsi Kimhi, aleph erit radicalis, eruntq́ סִלָּה & סִלָּא idem quod æstimari. Vulgata æditio habet, Amicti auro primo. Legit enim caph quod sequitur, tanquã beth. Proinde rectius ipse Thargum habet, qui transtulit, בְּנֵי צִיּוֹן יַקִּירִין דִּמְתִילִין אִיקוּנֵיהוֹן לִדְהַב טָב filiĳ Ziĳon preciosi, quia similis erat imago illorum auro optimo.

CCCXXII לְנִבְלֵי חֶרֶשׂ prior dictio, nomen est plurale constructiuum, singulare eius est נֵבֶל uas.

Altera dictio, testam significat.

יוֹצֵר participiũ præsens kal, nominis uim habens, significat figulum, ueniens à dictione יָצַר quod est uarias effingere formas.

Versus tertius.

CCCXXIII תַּנִּין radix ipsa est, significat draconem.

חָלְצוּ præteritum kal plurale à radice חָלַץ nudare, educare: nam de draconibus ita scribit rabbi Salomo. Draco tametsi crudelis sit, tamen quum uidet prolem suam à lõginquo uenire famelicam, educit siue extrahit ex theca quadam ubera sua (habet enim operimentũ super mammas suas) & educit illa ex theca, ne si inclusa illa uideat proles, currat retrorsum. In Masora annotatũ est priorem uocem תַּנִּים pluraliter in quibusdam libris scriptam, atque tum tertia radicalis litera nun excidit: nam à תַּנִּין pluraliter dicitur תַּנִּינִים

שַׁד radix est, significat mammam: in duali numero habet שָׁדַיִם

הֵינִיקוּ uerbum præteritum hiphil in

plu

plurali numero, ueniens à radice ינק

גוריהן plurale nomen cum affixo plurali fœminino tertiæ perſonæ. radix eius eſt גור cuius ſignificationē Kimhi in Radicibus bellè explicat, quum dicit, בני החיות בעודם קטנים יקראו גורים hoceſt, filij animalium dum adhuc paruuli ſunt, uocantur Gurim, ſicut & Geneſis XLIX. Catulus leonis, &c.

CCCXXVIII לאכזר Lamed hîc uacat, aut certè aliquid ſubaudiendum erit, Filia populi mei facta eſt, uel conuerſa in crudelem. Dictio ipſa eſt radix quadrilitera, tametſi Kimhi radicem eius ponat כזר ſecundum quem aleph hegmanthica erit litera.

כיענים kaph ſimilitudinis, includit he demonſtratiuum. Ieenim nomen plurale, in ſingulari numero eſt יענה Habet

ergo

ergo in ſingulari fœmininam, in plurali maſculinam terminationē: ſunt aues (ut ait Kimhi) habitantes deſertum, & æden tes horrendum ululatum: ſtruthiones a. liâs interpretantur.

Poſtrema uox, nomen eſt heæmanthi cum, ſignificat deſertum, â radice דָּבַר

Verſus quartus.

CCCXXV לְשׁוֹן nomen, ſignificans linguam & ſcheua quod ſub lamed uide tur, ex kametz eſt commutatum propter conſtruct. extra quam ita ſcribitur לָשׁוֹן

יוֹנֵק benoni eſt coniugationis kal, à ra dice יָנַק

CCCXXVI חִכּוֹ uaf holem in fine eſt affixum iam ſæpe explicatum. Dages in kaph loco zere eſt: radix enim eſt חֵךְ Quemadmodū enim hirek ſequente da ges in zere reſoluituc, ita uiciſſim zere in hirek cum dages tranſit. Tametſi rabbi

Dauid

Dauid Kimhi dages hoc alteram ex geminatis repræſentare affirmat, ita ut radix eius ſit חָכָה Rurſus Ioſeph Kimhi pater eius, dages hoc nun literam mediam referre ſcripſit, atq; is radicem uocabuli חֲנָה eſſe affirmat, atque in lingua Arabica quæ magnam cum Hebræa habet affinitatem, palatum חַנָּה dici.

בַּצָּמָא nomen eſt ſitim ſignificans, à radice צָמֵא ſitiuit.

שָׁאֲלוּ præteritum kal plurale, tertiæ perſonæ, à radice שָׁאַל poſtulauit. Quod uerò aleph habet hatephkametz, in cauſa eſt, quòd ſit gutturalis, & purum ſcheua ferre non poſſit.

Verſus quintus.

CCCXXVII לְמַעֲדַנִּים nomen eſt plurale maſcul. dageſſatum à ſingulari מַעֲדָן à radice עָדַן uoluptati operam dedit: principiũ huius uerſus ità explicat Aben

Eſra

Esra, qui edebant ut deliciarentur. Hoc enim litera lamed seruilis præposita nomini efficit. Simplicius Thargum explanauit דַּהֲווֹ אָכְלִין תַּפְנוּקִין qui comedebant delicatissima.

CCCXXVIII נָשַׁמּוּ præteritum niphal passiui, plurale tertiæ personæ, à radice שָׁמַם ordinis sexti, quare dages in mem uisitur, quod denotat alteram ex geminatis excidisse, pro more uerborum sexti ordinis, ut sæpe dictum est.

CCCXXIX הָאֱמֻנִים he demonstratiuum habet kametz, quia dages non potuit in aleph imprimere. Vox ipsa participium paul est in kal, plurale masculinũ, à radice אָמַן quæ significat enutrire ac educare. Nec te offendat punctationis uarietas: nam in paradigmate hoc tempus in plurali mascul. regulariter ita punctatur פְּקוּדִים Sed quia in hac uoce pri-

ma radicalis aleph eſt gutturalis, ideoq́ puri & ſimplicis ſcheua minimè capax, oportuit ei compoſitum ſcheua ſubijcere pro natura gutturalium. Deinde kybutz ſub mem loco uaf ſchurek poſitum eſt. Sunt enim illa duo puncta inter ſe permutabilia.

עֲלֵי iod in fine eſt paragoge, habetq́ zere ante ſe, ac ſi eſſet nomen plurale maſculini conſtructione, &c.

תּוֹלָע color purpureus ſeu coccineus, à תּוֹלַעַת uermis, ut habes Eſa. XLI, Ne timeas uermis Iacob, &c.

חִבְּקוּ uerbum piel plurale prѳteritum, tertiæ perſonæ ſignificat amplexari. Radix eſt חָבַק

אַשְׁפַּתּוֹת nomen plurale fœmininum, à ſingulari numero אַשְׁפָּה à quo regulariter אַשְׁפָּתוֹת in plurali dicendum erat, ſed longum punctum in breue ſequenti

dages

dages conuertitur, ut hîc uides. Et hæc eſt ſententia rabbi Kimhi in Michlol.

Verſus ſextus.

CCCXXX עָוֹן nomen heæmanthicum à radice עָוָה præuaricatus eſt.

מֵחַטַּאת mem prępoſitio comparatiui hîc eſt nota, & habet zere pro hirek ſequente dages, propter gutturalẽ ſequentem. Ipſa uox nomen eſt fœmininũ à radice חָטָא peccauit, ſignificans pœnam peccati, ſicut & ſuperius Anou, & in hac ſignificatione utraq; uox extat Zacharię XIIII & Geneſ. XV. Vide Kimhi in radice חטא in fine, &c.

הַחֲפֵכָה he demonſtratiuũ abiecit dages quod in ſequentem literam imprimi debebat cauſam eius rei, uide librum II ubi de punctatione he demõſtratiui egimus. Vox ipſa eſt paul kal, fœmin. ſing. Radix aliâs explicata eſt.

כְּמוֹ particula indeclinabilis, composita ex kaph similitudinis, & syllaba מוֹ seruili: & quam hîc habet pũctationem semper retinet, nisi quum recipit affixa: tunc enim kaph habet kametz, ut כָּמוֹנִי sed cum pluralibus affixis recipit scheua suũ. Vis & significatio eius est, eadem quę & caph similitudinis, de quo abundè suprâ libro secundo diximus.

CCCXXXI רָגַע nomen est, significat momentum, & kametz sub resch ex sægol mutatum est, propter accentum: aliâs enim extra hunc casum dicitur רֶגַע & subaudienda est hoc loco, ut alibi frequenter cõtingit: præpositio In, quæ per beth בְּ seruile exprimitur.

חָלוּ præteritum kal plurali numero, à radice חוּל quod obsidere, castrametari significat, & milite circundare. Non enim longa obsidione fuit Sedoma ex-

carnificata, ſed ſubitanea & momẽtanea perditiõe deuaſtata eſt per angelos, &c.

Verſus ſeptimus.

CCCXXXII זַכּוּ preteritum kal plurale à radice זָכַךְ candidum, mundum, & purum eſſe: dages ergo alteram ex geminatis excidiſſe teſtatur.

נְזִירֶיהָ nomen plurale maſculinũ cum affixo fœminino. Singulare eius eſt נָזִיר ſeparatus, nazareus. de quo in lege Moſi à radice נָזַר ſeparare, ſegregare, ſanctificare Domino, &c.

צַחוּ plurale kal præteritũ à radice צָחַח nitidus fuit, nituit, & debebat chet dageſſari, propter abiectam alteram ex geminatis, ſi fuiſſet capax dages.

CCCXXXIII אָדְמוּ præteritum kal plurale, à radice אָדַם rubicundum eſſe, ueluti limus terræ.

עֶצֶם nomen eſt ſignificans os, & ita tran-

tranſtulit hoc loco D. Munſterus. Thargum habet, ſpecie rubebant, quem ſequitur Tigurina æditio. Vulgata habet, rubicũdiores ebore antiquo. Kimhi (quod & ſimplicius uidetur) corpus interpretatur: nam à parte præſtantiori & fortiori ſæpe totũ cognominatur. Verba Kimhi hec ſunt כְּלוֹמַר שֶׁעַצְמָם אָדוֹם יוֹתֵר מִפְּנִינִים hoc eſt, quaſi dicat, quòd corpus illorum rubicundum eſt magis quàm gemmæ.

מִפְּנִינִים mem comparatiui nota eſt. Ipſa uox eſt nomẽ pluralis ſemper numeri, ſignificans margaritas, lapides precioſas, à radice פָּנַן

CCCXXIIII סַפִּיר גִּזְרָתָם prior uox nomen eſt lapidis precioſi, quem alij dicunt eſſe ſapphirum, alij adamantem, alij chryſtallum, &c.

Altera dictio nomen eſt fœmininum cum affixo, ideoq; he in thaf pro more fœ

mininorum transiuit. In singulari absolu to habet גִּזְרָה excisio: in plurali גִּזְרוֹת à radice גָּזַר excidit. Clausulam hanc in Radicibus Kimhi, hoc pacto explanat, Sapphirus excisio illorũ, id est, ac si essent excisi ex sapphiro, ob multã eorũ puritatẽ.

Versus octauus.

CCCXXXV מִשְּׁחוֹר mem comparatiui nota. Vox ipsa nomen est, significat nigredinem.

תָּאֳרָם nomen cum affixo plurali, ab absoluto illo תֹּאַר forma, à radice תָּאַר formare, delineare, consignare.

נִכְּרוּ passiuum niphal prçteritum, à radice נָכַר dages in kaph ostendit absorptam literam nun radicalem primam.

צָפַד Ipsa radix, significat adhærere, aliâs nusquam in Biblijs extat.

יָבֵשׁ ipsa radix.

הָיָה subaudienda est coniũctio copulatiua

latiua, & (ut dicas) וְהָיְתָה & fuit, &c.

כָּעֵץ nomen ſignificans lignum: kaph ſimilitudinis habet kametz, quia includit he demonſtratiuum, quod ante gutturalem paſſach ſuū, & dages in kametz commutat.

Verſus nonus.

CCCXXXVI טוֹבִים nomen plurale maſcul. adiectiuum, ad uerbum interpretandum Boni fuerunt: ad ſenſum uerò, feliciores fuerūt. Nam uox boni, apud Hebræos latè patet, & omnes boni ſpecies comprehendit, utilitatis, honeſtatis, uoluptatis, felicitatis, formæ & decoris, nec non & diuitiarum: exempla paſſim in ſacris literis occurrunt. Vt enim de felicitate tantùm exemplum afferam, apparet illud in Chaldæo paraphraſte, qui primo Pſalmo, ubi dicitur, Beatitudines uiri illius, &c. tranſtulit טוּבֵי דְּגַבְרָא bonitates

uiri, id eſt, felicitates uiri, & cætera.

חַלְלֵי nomen plurale maſc. in conſtructione, à nomine חָלָל de quo ſuprà numero centeſimo octogeſimoſexto.

שֶׁהֵם litera ſchin ſeruilis relatiui Qui, quæ, quod, & coniunctionis Quòd, uim habet: ſed de illo ſuprà ſecundo libro. Et notãdum eſt, Hebræos in relatiuis exprimendis, ſolere coniunctionẽ Quòd, cum relatiuo coniungere, ut hîc Quòd ipſi, id eſt, Qui.

יָזֻבוּ futurum plurale kal, tertiæ perſonæ, à radice זוּב fluere.

מְדַקְּרֵי participium paul ſecundæ coniugationis actiuæ, plurale maſc. à radice דָּקַר perfodere.

CCCXXXVII מִתְּנוּבוֹת שָׂדָי mem præpoſitio hóc loco ſignificat propter. Vox ipſa (prima ſcilicet) nomen eſt plurale fœmininum. Singulare eſt תְּנוּבָה frumentum

mentum: uel (ut Kimhi ait) egreſſio fru-
ctuum, ſtirpium & herbarum. Radix eſt
נוב germinauit, fructificauit, &c.

Altera dictio nomen eſt, ſingulare cu-
ius radix eſt שָׂדֶה nam hoc loco & alibi
etiam he tertia radicalis in iod præceden
te paſſach mutatur, ut dicimus שָׂדַי ſed
paſſach hîc in kametz eſt conuerſum pro
pter finem periodi. Porrò hãc clauſulam
Kimhi ita explanat, מֵחוֹסֶר תְּנוּבוֹת שָׂדַי
hoc eſt, propter defectum prouentus uel
frugum agri.

Verſus decimus.

CCCXXXVIII, רַחֲמָנִיּוֹת nomen plu
rale fœmininum heæmanthicum, adiecti
uum. Singulare eius eſt רַחֲמָנִיָּה cum iod
dageſſato, propter breue pręcedens pun
ctum. Maſculinũ eſt רַחֲמָנִי num eſt heæ
manthica litera. Iod uerò oſtendit abſtra
ctum eſſe nomen, radix רָחַם miſertus eſt.

יַלְדֵיהֶן nomen plurale mascul. cum affixo tertiæ personę fœmininę pluralis. Singulare eius est יֶלֶד filius, puer: à radice יָלַד peperit, & genuit. utrũq; enim significat, & utriq; indifferenter sexui attribuit.

CCCXXXIX לְבָרוֹת hanc uocem quidam Hebræorum infinitiuum esse dicũt à radice בָּרָה cibauit. Alij, nomen singulare ab eadem radice, iuxta formam אָחוֹת id est, soror. Alij postremò & qui rectius sentire uidẽtur, nomen plurale fœm. esse statuunt, cuius singulare sit בָּרָה cibus.

Versus undecimus.

CCCXL חֲמָתוֹ nomen fœmininum cum affixo tertiæ personæ singu. mascul. ideoq; he mutatum est in thaf, nam absolutè dicitur חֵמָה furor, à radice יָחַם ut suprà quoq; diximus. De uoce חָרוֹן suprà capite primo, numero octogesimo-sexto. Sicut & de sequenti statim, eodem

numero disseruimus. Hoc carmẽ hoc loco notabis, tria synonyma hemistichio isto poni, quæ iram significant, sed uehementem, scilicet חֲרוֹן אַת חֵמָה

CCCXLI וַיַּצֶּת uaf ab initio conuersiua est litera. Cõuertit enim futurum in præteritum. Nam uerbum est futuri temporis hiphil, id quod passach sub litera futuri arguit. Radix est נָצַת ideoq; zade hoc loco habet dages propter nun abiectum, pro more uerborum secundi ordinis. Porrò regulariter hæc uox cum iod characteristico scribi debebat יַצִּית iuxta paradigma יַפְקִיד Sed notandũ est, quando uaf cõuersiuum accedit ad futura singul. tertiæ personę hiphil, tunc abijciunt iod characteristicum, & sub secunda radicali ponunt zere, ut Genes. primo, uersu quarto, וַיַּבְדֵּל Deinde uerò quia hoc loco uox ista, uaiazzet, per uirgulam ma-

kaph, ſequenti dictioni ita coniungitur, ut etiam eo accentus trãsferatur, ideo zere longũ punctũ in breue ſegol mutatur.

CCCXLII יְסֹדֹתֶיהָ he in fine affixum eſt relatiuum fœmininũ tertiæ perſonæ. Iod eſt epentheſis: apponitur plerũq; ut affixa aptius cum uocibus connectãtur. Nomen eſt plurale fœmininũ, cuius ſingulare eſt יְסוֹד fundamentum, à radice יָסַד id eſt, fundauit.

Verſus duodecimus.

CCCXLIII הֶאֱמִינוּ præteritũ hiphil plurale tertiæ perſonæ, à radice אָמַן firma fuit, fidelis fuit, inde הֶאֱמִין credidit, pro rato & firmo habuit.

Reliqua omnia in hoc uerſu explicata ſunt, præter תֵּבֵל cuius ſignificatio à Kimhi his uerbis traditur, הוּא שֵׁם כְּלָל לְכָל אַרְצוֹת הַיִּשׁוּב hoc eſt, nomen eſt uniuerſale omnium terrarum habitabilium. nam

ארץ

ארץ terra comprehendit,& habitabiles & inhabitabiles partes terræ.

Versus decimustertius.

CCCXLIII מֵחַטֹּאת mem præpositio habet zere, quia quum abijciat suum nun, non potuit dages in cheth gutturalem imprimere. Significat autem hîc propter. Nomen est plurale fœminin. quod ita debebat regulariter scribi חַטָּאוֹת nam singulare eius est חַטָּאת sed abbreuiatur sicut & singulare, nam pro chattaah, breuius aliquando dicunt חַטָּאת mutato etiã he in thaf.

עֲוֹנוֹת nomen fœmininum plurale, cuius singulare & radicem quære suprà numero nonagesimo tertio. Proinde subaudienda hîc sunt quędam, nimirum uaf copulatiua, & mem repetẽdum, ut dicamus וּמֵעֲוֹנוֹת hoc est, & propter iniquitates sacerdotum eius, & c.

הַשֹּׁפְכִים participium kal, plurale maſ. Radix eius uerſu XI huius capitis extat. Porrò he uim habet relatiui, quãdo cum participijs coniungitur: uide ſuprà libro ſecundo, in Officijs he.

דַם nomẽ maſc. ſing. habet hîc paſſach quia regit poſt ſe caſum: nam in ſtatu abſoluto dicitur דָם cum kametz. Reliqua huius uerſus explicata ſunt aliâs. Vnum hoc addere libet, quoſdam ſentire, hunc uerſum cum ſequenti coniungendũ, hoc pacto, Propter peccata prophetarũ eius, &c. commoti ſunt cæci, &c. Alij uerò ſeorſim illũ legunt, & aliquid ſubaudiunt, quaſi dicat, Hæc omnia contigerunt illi propter peccata, &c. In primis uerò placet ſententia Chaldæi, qui hunc uerſum ita reddidit: Reſponditiuſtitia dei, Non euenit omne hoc, niſi propter culpã prophetarũ eius, qui prophetant illi prophe-

tiam

tiam falſam, & propter peruerſitatem ac iniquitatem ſacerdotum eius, qui adoleuerūt incenſum aromaticum idolis ſuis, & illi in cauſa fuerūt quòd in medio eius effuſus eſt ſanguis innocētum. Sic enim inquit Munſterus, quandò in malo meminit prophetarum, ſemper accipiēdum eſt de malis prophetis, ut hoc loco.

Verſus decimusquartus.

CCCXLV נָעוּ עִוְרִים prior uox uerbum eſt præteritum kal plurale, à radice נוּעַ motus fuit. De inflexione uerborum quarti ordinis quale & hoc eſt, ſuprà numero tercenteſimonono uide.

Altera uox, nomen plurale maſc. à ſingulare עִוֵּר cæcus. Porrò dages in plurali euphoniæ gratia, & ut facilior fiat prolatio, abiectum eſſe uides.

CCCXLVI נִגֹּאֲלוּ de hac irregulari uoce Aben Eſra in hunc modum ſcribit,

נגואלו

נגואלו מלה מורכבת מבנין נפעל ובנין שלא נקרא שם פועלו id est, dictio negoalu est cōposita ex cōiugatione niphal (id enim arguit litera nun præfixa) & coniugatione, cuius agentis non est expressum nomen (hoc est, secundę coniugationis passiuæ, id quod arguit uaf holē. De niphal quidem oportebat dicere נגאלו De pual autem גואלו iam utraque coniunctim in hac uoce concurrunt, ideo ab Hebręis dicitur composita dictio. Significāt autem huiusmodi cōpositiones emphaticôs intelligendum locum.) Radix est גאל id est, polluit, sordidauit.

בלא dictio constans duabus particulis, litera seruili beth, id est, in, & particula negatiua, quæ duæ particulæ coniunctæ significant idem quod, Vt non, &c.

יוכלו futurum tertiæ personæ plurale kal, à radice יכל potuit, quod uerbum in

futuro kal, primam radicalem in uaf ſchurek commutat, ad differentiam alterius uerbi, nimirũ אֲכַל id eſt, comedit: quod ſolet in futuro kal, maximè in prima perſona mutare primam radicalem in uaf holem. Ab achal enim dicimus אוֹכַל comedam תֹּאכַל comedes, &c. Rurſus à iachal dicimus אוּכַל potero, תוּכַל poteris, &c.

יִגְּעוּ futurum kal tertiæ perſonę plur. à radice נָגַע tetigit, ideoq; dages in gimel eſt, oſtendens nun primã radicalem uerbi excidiſſe pro more uerborum ſecundi ordinis.

בִּלְבֻשֵׁיהֶם beth ab initio ſeruile habet hirek, ne duo concurrerent ab initio ſcheuaim. Hem in fine ſyllaba affixum eſt tertiæ perſonæ plur. maſc. Nomen eſt plurale, à ſingulari לְבוּשׁ ueſtimẽtum, à radice לָבַשׁ ueſtiuit. Porrò uaf ſchurek in kybutz hîc tranſijt propter affixum. De ſenſu huius

ſu huius uerſus, quum his ad ſequentem quoq; pertineat, paulò pòſt dicemus.

Verſus decimusquintus.

CCCXLVII סוּרוּ imperatiuus kal pluralis, à radice סוֹר receſſit. Verba ordinis quarti, in tribus poſterioribus temporibus kal mutāt uaf holem in uaf ſchurek Hanc regulam notabis.

טָמֵא nomen adiectiuum ſing. immundus: à radice eiuſdem formæ. Diſcernenda igitur ſunt ex contextu orationis, utrū ſit nomen uel uerbum.

CCCXLVIII תִּגָּעוּ futurum kal ſecūdæ perſonæ plurale, cuius radicem ſuprà proximo uerbo expoſuimus. Vnum hîc obſeruādū, Scheua ſub gimel in kametz eſſe conuerſum propter accentum.

נָצוּ præteritum kal plurale tertiæ perſonæ, à radice נָצָה uolauit, uel pollutus fuit, ut quidem exiſtimant.

ויספו

יוֹסִפוּ futurum hiphil plurale tertiæ perſonæ, à radice יָסַף Verba enim incipientia à iod, in hiphil iod in uaf holem commutant. Porrò deficit hoc loco iod characteriſtichũ hiphil, tametſi hirek ſatis indicet adeſſe debere.

CCCXLIX לָגוּר infinitiuus cum litera lamed gerundiali, à radice גּוּר habitauit. Notandum eſt, literas infinitiui & futuri characteriſtichas ante uerba quarti ordinis habere kametz, ut hîc uides: in reliquis uerbis aliter ſe habent, ut in paradigmate uidere eſt.

Expoſitio ſenſus duorum proximorum uerſuum.

CCCL Valde obſcuri ſunt duo hi uerſus, & uarijs modis ab interpretibus exponuntur. Quod enim ad priorem attinet, illum rabbi Salomo ita interpretatur, Quum ambularent cęci in foro, com

mouebantur & pedes illorũ polluebantur ſanguine interfectorum, quos impij occiderãt in medio ciuitatis: ita ergo polluebantur, ut qui uellent ipſos accedere, non poſſent contingere ueſtimenta illorum: quare acclamabant illis, Recedite à nobis, uos qui immundi eſtis & polluti in ſanguine. Aben Eſra ita interpretatur: Viui, qui è cæde piorum, cuius ſuperiori uerſu meminit, ſupererant, mouebantur in plateis ſicut cæci, & polluebantur ſanguine cadauerum, ita ut non poſſent attingere ueſtimenta illorum, qui eos accedere uoluiſſent. Annotat autem idem Aben Eſra, duo illa uerba cõtinuò poni ſine intercedente aliqua particula, ſed illam ſubaudiendam hoc pacto, לא יוּכְלוּ שֶׁיִּגְּעוּ hoc eſt, non potuerunt (admittere) ut accederent uel contingerent ueſtimenta illorum. Secundus uerſus partim

ſub

sub præcedenti est expositus, partim quibusdam uidetur hostium uerba continere, insultantium Iudæis captiuis. [redacted] omnium optimè sensum mihi reddidisse uidetur in his uersibus.

Versus decimus sextus.

CCCLI חִלְּקָם uerbum piel, ut uides in dages cum affixo plurali mascul. tertiæ personæ. radix est חָלַק diuisit, in piel חִלֵּק uehementer diuidere, dispergere, zerstreuwen, ut habet uersio Germanica.

לְהַבִּיטָם infinitiuus hiphil cum affixo. Radicem suprà quære numero LXXVIII.

De uoce פְּנֵי quæ est masc. generis, in constructione diximus numero XLI. Tametsi Aben Esra annotat de primo quòd hîc dicitur, Vultus Domini dispersit illos: significare iram: ut 1 Sam. 1. Non erat amplius illi uultus eius, id est, ira eius. loquitur de Channa.

נָשָׂאוּ præteritum kal cum poſtremo kametz loco ſcheua propter accentum, radix eſt נָשָׂא tulit,accepit. Notanda eſt phraſis, Non acceperũt uultum ſacerdotum, id eſt, Non honorauerunt, non obſeruarũt, non coluerũt ſacerdotes. Thargum habet, Quia diſperſit illos Dominus: ideo populi inter quos ſunt captiui, non reueriti ſunt uultus ſacerdotum, nec miſerti ſunt ſenum &c. Simplicior eſt ſententia ut dicamus, cauſam eſſe redditionem, quare enim Dominus diſperſit illos, quare non addet, ut reſpiciat illos? quia nec ipſi ueros ſacerdotes reueriti ſunt, nec pepercerunt quantumuis ſenibus, ſed effuderũt ſanguinem iuſtorum, ut ſuprà audiuimus, &c.

חָנָנוּ ſimiliter prẹteritum cum kametz loco ſcheua ob accentum. Radix eſt חָנַן id eſt, miſertus eſt.

Verſus

Versus decimusseptimus.

CCCLII עוֹרֵינָה radix eſt עוֹר adhuc iod eſt epentheſis, ut aptior fiat cum affixo connexio. נָה ſyllaba loco נוּ ponitur, quod eſt affixum plurale primę perſonę. Facilè eſt autem ut loco uaf ueniat he, & contrà, ita & ſchurek & kybutz inter ſeſe ſæpenumero commutantur.

CCCLIII תִּכְלֶינָה futurum kal plurale tertię perſonę à radice כָּלָה defecit, conſumptus fuit. Porrò iod poſt lamed pro he tertia radicali ponitur. Literæ enim eheui, hoc eſt quieſcentes, facillimè inter ſe commutantur, ut inquit Aben Eſra, & iam ſæpe uidimus.

CCCLIIII עֶזְרָתֵנוּ nomen fœmininũ cum affixo plurali primę perſonę, ideoq́ he fœmininum in thaf eſt mutatum pro more, nam abſolutè dicit עֶזְרָה auxilium, à radice עָזַר auxiliatus eſt.

חֲבָל est ipsa radix, nisi q̃ primũ sægol propter accentũ in kametz longum punctum est mutatum חֶבֶל id est, uanitas: id quod non assequitur finem suũ. Hebraismũ, Ad auxiliũ nostrũ uanitatis. i. uanũ.

CCCLV בְּצִפִּיָּתֵנוּ beth ab initio præpositionis uim habet. Nu, in fine syllaba, iam antè explicata est. Nomen est fœmininũ, ut uides in thaf ex he mutato, absolutè sic צִפִּיָּה expectatio, à radice צָפָה speculatus est, à quo deinde צִפָּה expectauit, sperauit: à quo descendit statim sequens uox, quæ est præteritum piel plurale primę personę. de ratione inflectẽdi præterita ordinis quinti, aliâs diximus.

In sequentibus, nihil est quòd non explicatũ sit antea, hoc præterea obseruandum est, dictionem אֲשֶׁר id est, quæ, relatiuum subaudiendum: ut dicamus, Expectauimus ad gentem, non saluabit, id est

quæ

quæ non ſaluat. Placet poſtremò ſubiungere figmentum quod commẽti ſunt Rabbini in hunc uerſum, quod rabbi Salomo recenſet his uerbis: Inuenimus in expoſitione Threnorum, ꝙ quum Ægyptij uenirent in nauibus (auxilio nimirũ Iehudæis) tunc deus innuit mari, & fecit ante eos fluere utres inflatos, ſimiles uiſceribus hominum: quod quum uiderẽt illi, dixit unus ad alterum, Vtres iſti, ſunt patres noſtri Ægyptij, qui ſubmerſi ſunt in mari propter Iudęos iſtos, & nos egrederemur in auxilium eorum? Conſtiterũt ergo, & redierũt retrorſum. Hæc illi.

Verſus decimus octauus.

CCCLVI צָדוּ præteritum kal plurale, tertię perſ. à radice צוד uenatus eſt.

צְעָדֵינוּ nomen plu. maſ. cũ affixo: ſing. eſt צַעַד greſſus: radix צָעַד ingreſſus eſt.

מִלֶּכֶת infinitiuus, cũ præpoſitione ab,

quæ ita est interpretanda, abire: id est, ne irem, uel ire possem. Radix uerbi est יָלַךְ cuius suprà primo capite, uersu v & vi rationem explicauimus. de infinitiuis etiã uerborum quinti ordinis numero ducẽtesimo octogesimoseptimo habes.

בְּרְחֹבֹתֵינוּ syllaba nu, in fine affixũ iod epenthesis. Beth ab initio præpositio est in, habetq; hirek, ne duo scheua ab initio dictionis concurrerent. Nomen est plurale fœmininũ, singulare eius uide suprà numero centesimo octogesimotertio.

CCCLVII קִצֵּנוּ nomen singulare cũ affixo plurali primæ personæ. Absolutè dicimus קֵץ finis, terminus. radix est קָצַץ amputare, prescindere: finis enim est quasi præcisum & determinatũ tempus. Dages præcedente hirek uel repræsentat alteram ex duplicatis, uel longum punctũ zere. Sæpe enim iam dictum est, zere in

hirek

hirek ſequente dages reſolui.

מִלְאוּ præteritum kal plurale, à radice מָלֵא plenus uel repletus fuit. Eſt enim uerbum intranſitiuum in coniugatione prima kal.

Verſus decimusnonus.

CCCLVIII סַלִּים nomen plurale maſculinum, cuius ſingulare eſt סַל leuis, à radice סָלַל id quod dages in lamed, quod eſt index literæ alterius ex duplicatis abiectæ, oſtendit.

מִנִּשְׁרֵי mem ab initio eſt comparatiui nota, nomen eſt plurale in cõſtructione. Extra conſtructionem eſt נְשָׁרִים Singulare eſt נֶשֶׁר aquila. Huius uocis etymologiam explicat eleganter rabbi Abrahã Hiſpanus, autor expoſitionis in Legem quę inſcribitur Zeror hãmor, cuius uerba ſubijciam. Is enim in uerſum illum capitis 11 Geneſ. Appellauitq; Adam nomi

nibus ſuis cuncta animantia, &c. cōmentans, quum multis oſtendiſſet hominis primi dignitatem, ſapiētiam & ſcientiam præſtantiſſimam fuiſſe ante peccatū: idq́ animaduerti poſſe, ex eo quòd omnibus creaturis talia nomina indiderit, quę naturam & proprietates ipſarum complecterentur. Poſt multa exempla tandem etiam aquilæ uocem ita explicat, נשר על
שם תכונותיו שפורחת באויר עד יסוד האש
ונשרפת ונופלת בים ומתחדשת ועל זה נאמר
תתחדש כנשר נעורייכי: וזהו נשר לשון נפילת
מלשון חז״ל משיר את השער וגו׳: וכן אותיותיו
מורות על פעולותיו כגון נפילה השין אש ה
הריש רוח על שם שעולה עד יסוד האש ונופלת
Hoc eſt, Aquila dicitur Neſther, quod proprietas eius ſit, ut uolet uſque ad elementum ignis, ibiq́ comburatur & decidat in mare, ac renouetur: unde dicitur Pſalmo cēteſimoſecundo, Renouabitur

ſicut aquilæ iuuentus tua. atq; hinc dicitur neſther, à cadendo (nam נָשַׁר & תָשִׁיר in Thalmud ſignificat Cadere.) ab eo quod dicunt Rabbini & ſapiẽtes noſtri piæ memoriæ, Facit decidere crines, &c. Idem teſtantur literæ eius. Nun enim repræſentat dictionem נְפִילַת id eſt, caſum. Schin uerò אֵשׁ hoc eſt, ignem. Reſch deniq; innuit dictionem רוּחַ id eſt, uentum uel ſpiritum, eo quòd per aera aſcendat uſque ad elementum ignis, &c. Hæc ille. Rabi Dauid Kimhi quoq; in Radicibus ait, aquilam decimo quoq; anno hoc facere, centeſimo uerò quum idem tẽtat pro more, decidere eum in mare, atq; mori.

